

La présente édition a été établie à partir de celle publiée chez Nicolo et Vincenzo Rispoli, à Naples, en 1737.

## BERARDINI \* ROTAE VIRI PATRICII EPIGRAMMATUM LIBER.

\*sic

## AD PERAPHANUM RIBERAM, PRINCIPEM OPTIMUM.

E\_1 v.1 Principibus placuisse viris non ultima laus est,  
 2 o Princeps nostris Sol date temporibus.  
 3 Verum illos placuisse aliis est gloria prima,  
 4 quod tamen ipse unus tu, Peraphane, facis.  
 5 Nam quis te melius metitur passibus aequis  
 6 singula ? Quis melius deprimit, odit, amat ?  
 7 Deprimit elatos, rectos amat, odit iniquos :  
 8 o vere auspiciis aurea saecula tuis.

## FONTIS INSCRIPTIO.

E\_2 v.1 Naiades, fontis quibus est tutela propinqui,  
 2 si vestra veniet lympa perennis ope,  
 3 largus ut arentes fecundet rivulus hortos,  
 4 pellat ut aestivam villica turba sitim,  
 5 prima dabit vobis sitientis cultor agelli  
 6 lilia, prima olerum munera, prima rosae.  
 7 Nec tantum teneris dabitis, mihi credite, plantis,  
 8 quantum donata vos capietis humo.

## DE NIGELLA.

E\_3 v.1 Aegida Pallas habet, sunt et tibi spicula Mavors,  
 2 fuscina Neptuno, rete Diana tibi est ;  
 3 sunt thyrsi Baccho, Maiae talaria nato,  
 4 Alcidae clava est, ignea tela Jovi.

5 Unde caret facibus tantum Cytherea ? Sagittis  
6 unde Amor ? Haec oculis arma Nigella gerit.

AD EAMDEM.

E\_4 v.1 Quod tu purpureos, albos ego mittere flores  
2 assuescam, haud mira condicione venit :  
3 quae tua sunt, nostro de sanguine dona rubescunt,  
4 quae nostra, heu nostris candida de lacrimis.

DE MARTE ET PHOEBO.

E\_5 v.1 Daphnidis infaustos dum Mars deridet amores,  
2 Delius erubuit, risit et alma Venus.  
3 Cui risum vultu simulans proclamat Apollo :  
4 "Quid si non caelo retia nota forent ?"

IN POLYDORI PICTORIS MORTEM.

E\_6 v.1 Invida cui potuit natura ignoscere, quamvis  
2 victa tua toties sit Polydore manu,  
3 nesciit infidi crudelis dextera alumni  
4 parcere : sic auri vicit avara fames.  
5 Infelix semper Polydori nomen, ut aurum  
6 perdidit, ut nocuit semper amica fides.

ROSA CAMPANA LOQUITUR.

E\_7 v.1 Quae modo Campanos fueram Rosa culta per hortos,  
2 heu decus Idaliae, delictumque Deae,  
3 nunc feror iratis Tiberis demersa sub undis,  
4 nec patitur certum Nais habere locum.  
5 I nunc, crede Deis : poterat servasse Dione,  
6 debuerat Veneri parcere Martis aqua.

IN OBITU PROSPERI COLUMNAE.

E\_8 v.1 Dum stabas, tua Roma simul stetit, alta Columna,  
2 prisca stetit patriae gloria, priscus honos.  
3 Heu ruis, ecce iterum ruit alto a culmine Roma :  
4 prisca ruit patriae gloria, priscus honos.  
5 Jure sed excidium hoc aliis praeferre ruinis  
6 Roma potest. Penitus nunc jacet : ante ruit.

FONTIS INSCRIPTIO.

E\_9 v.1 Quisquis amas vitrei pastor bona commoda fontis,  
2 pelle gregem : sacer est, tangere parce manu.  
3 Fons Veneris natus lacrimis, dum luget Adonim,  
4 dum discerpta fero membra requirit apro.  
5 Tu tibi parce, potens gelida latet ignis in unda :  
6 ne bibe, nam flammam tuque, pecusque bibes.

## DE FERNANDO DAVALO PISCARIO, ET VICTORIA COLUMNNA CONJUGIBUS.

E\_10 v.1 Sat tibi, sat Davalus debet Victoria : vicit  
 2 te duce tot populos, te duce totque Duces.  
 3 At tibi plus Davalus debet Victoria conjux,  
 4 Carmine si potuit vincere fata tuo.  
 5 Utraque sat tribuit ; dedit at plus carmine conjux :  
 6 haec dedit, ut mortem vinceret, illa Duces.

## AD NIGELLAM.

E\_11 v.1 Miraris, quod victa tibi sint lumina Somno,  
 2 quodque vetet lassos ipse aperire oculos.  
 3 Non mirum : cum tanta tibi vis luminis insit,  
 4 ut nequeat Somnus captus abire oculis.

## AD MORTEM.

E\_12 v.1 Mors propera, miseris spes o certissima rebus,  
 2 mors propera, et vitae stamina rumpe meae ;  
 3 sed tacito pede curre, animus ne noscat adesse :  
 4 nam prae laetitia numquam ego deficerem.  
 5 Res Amor infelix. Optat fugienda ; resurgit  
 6 tristibus : o mira condicione malum.

## MYRTUS LOQUITUR.

E\_13 v.1 Amplexam Paphia quid vitem vellere myrto  
 2 ccontendis ? Saeva parce colone manu.  
 3 Pace tua, Vulcane ; tua, Gradive : Lyaei est  
 4 jure Venus, Veneris jure Lyaeus erit.

## DE JO. FRANCISCI FRATRIS OBITU.

E\_14 v.1 Legerat aeterno donari mortis honore,  
 2 siquis pro patria vellet obire sua.  
 3 "Sic moriamur" ait pugnans Franciscus, "et o nunc  
 4 me quoque me Decium patria" dixit "habe."

## IN STATUAM HOMINIS DURISSIMI.

E\_15 v.1 Ne mirere hominem fictum de marmore. Vivus  
 2 marmor erat : nunc est, quod prius ipse fuit.

## TINNAE VOTUM.

E\_16 v.1 Hoc tibi remigium alarum jucunde Favoni  
 2 affixum salicis cortice Tinna dico :  
 3 Quas, niveos artus vitreo dum fonte lavabam,  
 4 surripui armato nuda puella Deo.

5 Aestus erat : liquidas potatum venerat undas  
 6 lassus Amor : tota strinxerat arma die,  
 7 atque super virides resupinus straverat herbas  
 8 languidulus somno membra soluta puer.  
 9 Tu cape : sic semper per florea prata vagantem  
 10 te foveat blando Chloris amata sinu.  
 11 Fac meus ipse tuam venatu ut fessus Iphalcon  
 12 sentiat ardenti sidere semper opem.

## DE MICCO.

E\_17 v.1 Ergo erit ut pereat Neptuni Miccus in undis,  
 2 natus Celtarum montibus in mediis ?  
 3 O fines vitae incertos, injustaque fata :  
 4 debuerat Bacchi fluctibus ille mori.

## IN QUINTUM.

E\_18 v.1 Non Quintus, sed primus eras fallacibus ausis :  
 2 atque utinam nullus, perfide Quinte, fores.

## DE CAROLO V CAESARE.

E\_19 v.1 Dum celer exsuperat praeruptas Carolus Alpes,  
 2 dumque fera innumero milite bella movet,  
 3 contremuere alto longum saxa invia motu,  
 4 mirata Augusti vimque, animosque Ducis.  
 5 Quin Dryades percussae armis latuere sub imo  
 6 cortice, et haec tremulo verba dedere sono :  
 7 "Gallia flere potes : remeat jam Caesar : es olim  
 8 victa : sed in cineres nunc prope versa rues."

## NISA LOQUITUR.

E\_20 v.1 Hac rosa cingam Lycidae capillos,  
 2 quae patet verno saturata rore,  
 3 cum diem Titan reserans Eoo  
 4 litore surget.  
 5 Hac et innectam studiosa frontem,  
 6 quae latet parvo bene septa nodo,  
 7 per me ut Auroram superet nitenti  
 8 frontis honore.  
 9 His et implebo calathum ligustris  
 10 quem modo intexit Pholoe Vesevi  
 11 nata, et intextum mihi misit, ut mox  
 12 unus haberet.  
 13 Hisce et involvam jaculum corymbis,  
 14 quo feras certo ferit acer ictu  
 15 Ille, cui summis potuit Diana  
 16 cedere silvis.  
 17 Mox sit ut carae memor ille Nisae,  
 18 hac leves lauru calamos ligabo,  
 19 saepe queis ipsum potuit canentem  
 20 vincere Pana.

21       Hac tegam myrto baculum virenti  
 22       Aegla Sebethi soror, Aegla quam mi  
 23       carpsit, it dum luciduli pusillas  
 24               fratris ad undas.  
 25       His coronabo violis juvencam,  
 26       quam diu munus juveni dicavi,  
 27       quamque vel credas iterum placere  
 28               posse Tonanti.  
 29       Tu veni huc inter Lycida genistas,  
 30       dum per herbosos pecus errat agros,  
 31       pauca pro centum mihi clam rependens  
 32               basia sertis.

SCALAE VINOSI TUMULUS.

E\_21    v.1       Scala obiit : vos flete cadu, vos flete lagoenae,  
           2        vos phialae, et calices, vos paterae, et cyathi.  
           3        Flete illum vos praela, utres, vineta, lacusque,  
           4        largius et vites spargite vos lacrimas.

FAMA AD CAROLUM V CAESAREM LOQUITUR.

E\_22    v.1       Etsi pressa cadet tantae sub pondere vocis,  
           2        vel mediis penna deficiente viis,  
           3        exoptat plura ora tamen, duplicesque volatus,  
           4        Ut referat laudes nuntia Fama tuas.  
           5        At nescit quo Caesar eat : sunt te omnia plana.  
           6        Nil ultra, quo jam progrediatur, habet.

DE NISA.

E\_23    v.1       Nulla meo Nisae sine nomine surgat agello  
           2        arbor : ita est cautum Cypria lege tua.  
           3        Crescite jam lauri, myrti jam crescite, amicum  
           4        nomen et in tenero cortice quaeque ferat.  
           5        Sic ego vel sacras Parnasi rusticus umbras  
           6        despiciam, Elysium despiciamque nemus.

AD NISAM.

E\_24    v.1       Dum centum manuum osculationes  
           2        adhaerens tibi mittit hic, et ille,  
           3        ah quantum mea Nisa das timoris,  
           4        ne, dum sic manuum osculationes  
           5        ingerit tibi vita, basiando  
           6        incautus comedat manus voretque :  
           7        et sint non manuum osculationes,  
           8        verum sint manuum vorationes.  
           9        Mellitae niveae manus tenellae  
 10        sunt dignae nimia osculatione :  
 11        quin dignae subita voratione.  
 12        Sed velim potius manus vorari,  
 13        quam (sic aestuat ira) basiari :  
 14        hae nostro madidae manus cruore,

15       hae sunt, quae rapuere me mihimet.

JO. FRANCISCO FRATRI SOLVIT INFERIAS.

E\_25    v.1       Quis te tam subitus florentem perdidit imber,  
           2       imber, qui fratri tot peperit lacrimas ?  
           3       Vix ingressus eras placidi bona tempora veris,  
           4       vix Phoebi ad radios flos novus exieras,  
           5       cum te tristis hiems rapuit, cum dextera pressit,  
           6       dextera visceribus facta cruenta meis.  
           7       Pro patriis cecidisse focis pulchrumque, decensque  
           8       duxisti : haud moritur, si quis ita emoritur.

AD NISAM.

E\_26    v.1       Quas bona Flora rosas Paphiis modo legerat hortis,  
           2       excoluit tenera quas Cytherea manu,  
           3       uberibus madidas lacrimis tibi mittit Amyntas,  
           4       ac simul his animam floribus implicitam.  
           5       Nisa cape : his poteris niveas ornare papillas,  
           6       his poteris nitidas nectere Nisa comas.  
           7       Floris honos brevis est : brevis est quoque gloria formae ;  
           8       dum licet, ah verno tempore disce frui.

DE VATE ET JULO ROMANO.

E\_27    v.1       Quod potuit laribus sacri modo parcere Vatis,  
           2       relligiosa nimis Tibridis unda fuit.  
           3       At, quod praecipitem nequii modo perdere Julum,  
           4       relligiosa parum Tibridis unda fuit.

AD ROGERIUM NACCIUM.

E\_28    v.1       Vincere fortunam nulla est victoria, Nacci :  
           2       femina fortuna est, femina et ipsa nihil.

AD AEGLAM DE VILLA SUA ROTA.

E\_29    v.1       Ite jam blandae, procul ite nugae :  
           2       Urbis hic tandem liceat querelas,  
           3       hic forum invisum aufugere, hic potentum  
           4       limen avarum.  
           5       Hic mihi mentis liceat procellas  
           6       pellere, hic curas animum vorantes,  
           7       vivere hic saltem breve tempus, hic mi  
           8       reddere memet.  
           9       Ecquod o nunc profugium ? Ecquis umquam  
          10       tutior portus ? Male jam sat olim  
          11       lusimus, quot jam male vana amantes  
          12       flevimus annis.  
          13       Aegla tu castae generosus undae  
          14       fons, et umbrosis Helicon viretis,  
          15       tu mihi lauri nemus, et canorum

16                   Phocidos antrum ;  
 17       tu parum cautis locus aptus annis,  
 18       tu parum firmæ requies senectæ,  
 19       forsan optata mihi cana cinges  
 20                   tempora fronde.  
 21       Colle tu parvo mihi das natantes  
 22       aequore hinc Nereidas, hinc Napæas  
 23       cernere errantes loca pulchra circum  
 24                   consita citris.  
 25       Tu mihi das Pausilypi recessus,  
 26       tuque craterem pelagi videre, et  
 27       antra, et in primis veneranda magni  
 28                   busta Maronis.  
 29       Ut juvat tecum canere impotentis  
 30       nunc cruentatam pueri pharetram,  
 31       nunc facem, nunc et medicata multo  
 32                   tela veneno.  
 33       Nunc comas auro nitidas Nigellæ,  
 34       nunc duas, sedem Veneris, papillas,  
 35       nunc rosas, nunc lilia, nunc micantis  
 36                   sidera frontis.  
 37       Ut juvat poma, ut violas recentes  
 38       carpere, ut ramos reseccare inertes,  
 39       murmure ut frondes agitantis auræ  
 40                   fallere somnum.  
 41       Sic tibi ver perpetuum corollas  
 42       suggerat, sic te Venus ipsa Cypro  
 43       præferat, sic te colat usque pleno  
 44                   copia cornu.

GIGANTES DEPICTI, AD CAROLUM V CAESAREM.

E\_30    v.1       Aspice, ut armatas scelerato pectore turmas  
           2       impellat praeceps in sua damna furor ;  
           3       aspice, ut imposita tentet manus impia mole  
           4       scandere, et invicto bella parare Jovi :  
           5       utque ille hanc subito detrusam fulminet ictu,  
           6       erigat ut medio parta tropaea polo.  
           7       Disce quid hinc pietas, quantum temeraria possit  
           8       mens hominum : haec surgit semper, at illa ruit.

AD LUCIAM.

E\_31    v.1       In tenebris mihi lumen ades, lacrimasque ministras  
           2       Lucia Phoebea lucida luce magis :  
           3       tuque eadem absenti tenebras, lacrimasque ministras,  
           4       Lucia. Sic semper noxque, diesque mihi es.

JOCUS

E\_32    v.1       Qui torrem sufflas, faculamque accendere tentas,  
           2       huc propera, flammæ pectora nostra dabunt.

AD GAUDINUM.

E\_33 v.1 Hasne tuae taedas natae, Gaudine, parasti ?  
 2 Haecne tibi optatus gaudia praebet Hymen ?  
 3 Ut dum quisque hilares contendit adire Hymenaeos,  
 4 proh dolor, ecce venit maestus ad exequias ;  
 5 et qua forte die thalamo spectanda mariti  
 6 Nupta erat, invisum ducitur ad tumulum.  
 7 Et tu vivis adhuc nata, Gaudine, sepulta,  
 8 Nec potis est vitae rumpere fila dolor.  
 9 I pater infelix, vivum te conde sepulcro :  
 10 Nec tibi dent nomen gaudia, sed lacrimae.

## DE ANTAEA ET CERRAUNO.

E\_34 v.1 Arserat Antaeam longo Cerraunus amore,  
 2 saevitiae exemplum sancta Erycina tuae.  
 3 Junxit Amor, tandemque bona dum pace fruuntur,  
 4 et miscent animas, blanditiasque simul,  
 5 ecce inter subito blanda oscula fulminat ictu  
 6 invidus humani Juppiter ipse boni.  
 7 Nec tamen amplexu potuit divellere amantes  
 8 ira Jovis : tanta vinxerat arte Venus.  
 9 Semper amatorum miserum genus : ut neque tuta  
 10 fulminibus patris sit Cytherea sui.

## AD LUCIAM.

E\_35 v.1 Cum cantas Venus es, Venusque cantat ;  
 2 cum ludis, Veneris puerque ludit ;  
 3 cum rides, Charites simulque rident.  
 4 At nunc, Lucia, quod gemis, Venus jam  
 5 jam luget, Veneris puerque luget ;  
 6 quod ploras, Charites simulque plorant :  
 7 quin nox perpetua immineret orbi,  
 8 ni tuis oculis dies veniret.

## DEFLET JO. BAPTISTAM ROTAM FRATREM, INSPECTO AGRO RAVENNATE.

E\_36 v.1 Hocne tibi fatale solum, fatale sepulcrum ?  
 2 Hicne tibi inferias, hic tibi justa parem ?  
 3 Hicne fuit frater clades deflenda Ravennae,  
 4 eripuit cum te Martis iniqua manus,  
 5 nec voluit reducem miserae te reddere matri,  
 6 nec quaesita diu membra domum revehi ?  
 7 Ah ! quando est vetitum funestam ducere pompam,  
 8 pompa tibi hoc carmen, pompa tibi hae lacrimae.

## AD AURAM.

E\_37 v.1 Aura, quae blando resonas susurro,  
 2 Aura, quae flores vaga ludis inter,  
 3 quaeque rorantes nova prata circum  
 4 concutis alas,  
 5 quam Venus ridens, Charites, Jocique



6 passibus semper comitantur aequis,  
 7 quam leves circum volitant Amorum  
 8 mille cohortes :  
 9 hi venenatas acuunt sagittas,  
 10 hi rosa multa jaculum coronant,  
 11 hi faces laeti quatiunt, et aura  
 12 suscitatur ignem.  
 13 Tunc aqua Nais calet omnis ima,  
 14 tunc novis ardet nemus omne flammis,  
 15 tunc et insueta face quaeque summa  
 16 aestuat arboros.  
 17 Jamque pastores, segetes, ovesque  
 18 urerent aestus penitus voraces,  
 19 ni meo fletu populata campos  
 20 flamma periret.  
 21 Si parum flatu recreas benigno  
 22 quam mihi laurum posui virentem,  
 23 dum nocens nudos Canis urit agros,  
 24 dum sitit herba,  
 25 Aegle connectet tibi nostra flore  
 26 mille fragrantis vario corollas,  
 27 quas suis posset Zephyro parare  
 28 Chloris in hortis.  
 29 Mox lyram trunco Lycidas amico  
 30 vota suspendens tibi solvet, ut te,  
 31 voce perflabis quoties canora,  
 32 personet unam.  
 33 Tu modo o votis faveas, et adsis :  
 34 aspice, ut grata spatietur umbra  
 35 laurus, ut pandat tibi tota frondes  
 36 aura, nec audis.

DE NATALI NOCTE CHRISTI DOMINI.

E\_38 v.1 Nascere, sancte puer, nocte hac, qua purior umquam  
 2 non fulsit rutilis Lucifer ipse comis.  
 3 Te nato occumbit letum, dirumque, malumque,  
 4 pravaque religio, sollicitusque timor ;  
 5 te nato nova vita oritur, rectumque, piumque,  
 6 et longo exilio spesque, salusque redit.  
 7 Magne puer, quem regna manent terraeque, polique,  
 8 quem manet evicti debita palma Erebi,  
 9 nascere : dumque micat nox haec nitidissima, numquam  
 10 affer ab Eoo litore Phoebe diem.

FONTIS EXSICCATI INSCRIPTIO.

E\_39 v.1 Quid mirum seu pastor ades, seu potor, ad auras  
 2 si venit hinc parca Nais iniqua manu ?  
 3 Aret humus domini prae magno pectoris aestu,  
 4 dum flammis pennis ventilat acer Amor.  
 5 Hinc exire timet Nympha, hic latet : ipse sed undas  
 6 si cupis, hinc dominum pelle, et habebis aquas.

DE JANO FOENERATORE MOX POETA.

E\_40 v.1 Janus ubi hos illos nudavit fenore, Musis  
 2 furta parans, nullo scripta pudore rapit.  
 3 Nec vos Pierides movet hoc : potuisset adulter  
 4 si foret hic, vestra virginitate frui.

IN PALMERIUM.

E\_41 v.1 Quod sis pollicitis largus, quod rebus avarus,  
 2 proficiant nulla quod tua verba die,  
 3 Palmeri haud miror, quando huc te misit Idume :  
 4 aequae homini, ac patriae est insita conditio.  
 5 Floret Idumaeis uberrima palma viretis,  
 6 non fecunda Italidis hospita surgit agris.

DE MANNIO NUCERINO.

E\_42 v.1 In Veneris pugna reperit cum patre sororem  
 2 Mannius, atque unus strangulat ipse duos.  
 3 Mox ait : "Infandum facinus testaberis Orco,  
 4 tu, quia passa patrem ; tu, quia nata tibi est."

AD LUCIAM.

E\_43 v.1 Da mihi te totam mea Lucia ; da, rogo, tot mi  
 2 suavia, quot Charites, sunt Veneresve tibi.  
 3 Da mihi posse manu niveas tractare papillas,  
 4 brachia et optato condere nostra sinu.  
 5 Sed quid ego ? Aufugit mi animus, tecumque moratur :  
 6 ad nos nec curae est amplius ut redeat.

DE TAURINO DECOCTORE.

E\_44 v.1 Taurinus patriis nuper decoxerat oris,  
 2 infidae toties ira, jocusque Deae.  
 3 Fugit ad extremos Indos novus incola, vitam  
 4 posse novam sperans degere in orbe novo.  
 5 Fata sinunt : mutat mutato incommoda caelo,  
 6 dives quam parvo tempore, nuper inops.  
 7 Mox remeans patriis tandem cum sisteret oris,  
 8 dimensus longi magna pericla maris,  
 9 ecce Cilix spoliatur miserum, nudumque relinquit,  
 10 estque iterum parvo tempore factus inops.  
 11 I, fuge vim fati : fugias quocumque, sequetur.  
 12 Nusquam tuta fuga est : invia nulla via est.

DE NISA AD AURORAM.

E\_45 v.1 Desine purpureos conjux Tithonia vultus  
 2 pandere : quid nobis lux tua ? Quidve dies ?  
 3 Nisa oculis noctem removet, pellitque tenebras :  
 4 una oculis lucem praebet, et una diem.

## AD CAROLUM V CAESAREM DE PROSPERO COLUMNA.

E\_46 v.1 Quid tibi rex geminae ? Geminas jam lingue columnas.  
2 Bis tibi plus ultra haec una Columna dabit.

## IN BONAM.

E\_47 v.1 Quod bona dicaris, falso bona nomina jactas :  
2 non bona, crede mihi, corpore, non animo es.  
3 At bene quod semper Veneris mala munera tractes,  
4 hinc Bona, crede mihi, cetera tota mala es.

## ISABELLAE ARAGONIAE TRIUMPHUS.

E\_48 v.1 Isabella rosas inter dum lassa quiescit,  
2 lassa homines dudum, lassa ferire Deos,  
3 credit eam Venerem, tacitis circumvolat alis,  
4 non ausus somnum rumpere matris ; Amor.  
5 Non tantum tamen abstinuit, quin lumina adiret,  
6 hinc ratus ipse novas posse animare faces ;  
7 dumque genas nimis ala premit, somno excita tentat  
8 prendere : sed se oculis virginis abdit Amor.

## MINUTI TUMULUS.

E\_49 v.1 Cum genere, ingenio, fortunis, corpore parvum,  
2 Fecissent dominum fata maligna loci,  
3 Condier exiguo mandavit marmore : sic se  
4 hujus ab exemplo noscere quisque potest.

## AD LUCIAM.

E\_50 v.1 Nil mirum, rides medio si Lucia fletu :  
2 hoc est, quo miserum me magis excrucies.  
3 Sic Aurora micat, dum ros per gramina manat,  
4 sic Phoebus mediis imbris ipse nitet.

## AD JO. FRANCISCUM ROTAM FRATREM.

E\_51 v.1 Cum tibi vix coeptae Mors fregit stamina vitae,  
2 spicula Mars fregit, spicula fregit Amor ;  
3 nec non flere Deos homines si credere par est,  
4 ad tumulum haec flentes dicta dedere tuum :  
5 "Magnus Amor, magnus Mavors vivente Rotilo,  
6 nulla Deum exstincto gloria, nullus honos."

## AD NISAM.

E\_52 v.1 Dicebas mea Nisa credituram  
2 numquam te miseros meos amores,  
3 etsi me aspiceres mori misellum ;

4 nunc, quod spiritus ipse jam reliquit,  
 5 versasque in cineres vides medullas,  
 6 affirmas mihi cuncta credituram,  
 7 et veros nimium meos amores :  
 8 quin dicis nimium esse me misellum.  
 9 Verum credulitas quid haec juvabit ?  
 10 Si non paenituit mali peracti,  
 11 eheu nil pietas juvat sepultum.

NILUS MARMOREUS PARTHENOPEN ALLOQUITUR.

E\_53 v.1 Quid tibi cum Nilo, Siren male blanda ? Canentem  
 2 te dudum fugiens terra ego delitui.  
 3 Infensi cives cur me prompsistis, ut eheu  
 4 cogerer invitis cernere vos oculis ?  
 5 Quis bene discordes animos, quis barbara jussa,  
 6 tempora quis ferro deteriora videt ?  
 7 Obruite, o cives, Sebetho aut mergite, ni mox  
 8 discetis laesi numina quanta Dei.

EJUSDEM ABITUS.

E\_54 v.1 Nilus abit, licet ipse senex, licet ipse minuta  
 2 parte lapis, trunco sit licet ipse pede.  
 3 Urbs mihi culta vale : tecum male vivitur ultra.  
 4 Feminum imperium quis bene ferre potest ?  
 5 Crede Deo : eventus docuit Cleopatra futuros.  
 6 Semper enim infauste femina bella gerit.

AD BERARDINUM MARTIRANUM.

E\_55 v.1 Martirane, tui decus immortale poetae,  
 2 cui dedit arbitrium pater uni  
 3 virginei Phoebus laticis ; cui sarta virenti  
 4 fronde legunt redolentia Musae ;  
 5 Musae, quae tibi me sic devinxere, ut iniqua  
 6 vix poterit Lachesis resecare  
 7 stamina, concordi quae junxit Gratia nodo,  
 8 mansura ad cineres quoque, et ultra ;  
 9 quae coepere tuam tam longa obliviam mentem ?  
 10 Quae tibi nunc mala gramina Circe  
 11 miscuit ? Aut triplici quae detinet ore Chimaera,  
 12 ad patrios redire penates ?  
 13 Nam licet ipse geras Curios, licet ipse Catones  
 14 mille animo, imperium tamen olim  
 15 vidimus infidae lacrimantem ferre puellae,  
 16 ac tristes te fundere questus.  
 17 Anne tuo residet magnus qui pectore Caesar,  
 18 Caesar deliciae, atque amor orbis,  
 19 qui virtute auro ditat nova saecula prisco,  
 20 huc supero demissus Olympo,  
 21 optatos differt reditus, optata retardat  
 22 gaudia, in hoc tantum minime aequus ?  
 23 Anne cadaver iners passae tot funera Romae  
 24 detinet incassum sacra busta

25 mirantem, atque urbis magnae simulacra dolentem  
 26 largo non sine flumine fletus ?  
 27 Anne alia evinxit valida te compede Nympha,  
 28 Nympha comis, oculisque beata,  
 29 quam pater usque imo Tiberis suspiret ab antro  
 30 fontibus in mediis male flagrans ?  
 31 An Bemus Veneta historia vel carmine Molsa,  
 32 quos penes est animus meus omnis,  
 33 quos absens video semper, quibus et mea saepe  
 34 Carmina grata, licet juvenis sim,  
 35 te retinent lentum procul a felicibus hortis  
 36 Leucopetrae, a nitidis procul undis ?  
 37 Leucopetra est, silvis qua non formosior ulla,  
 38 qua toto non aequore Nympha :  
 39 quae tibi non tantum violas, mollesve hyacinthos,  
 40 non quicquid laetus parit annus,  
 41 sed lectas etiam vicino e litore conchas  
 42 servat amans, uni placitura.

## DE LAURA ROTA SORORE.

E\_56 v.1 Dum pia turba parat lacrimas, dum spectat adempto  
 2 quid faciat nato perdita Laura suo,  
 3 ipsa ubi vix animam retinens legit ore suprema  
 4 oscula, sic fatur : "Qui dedit, hic rapuit."  
 5 Quisne uni huic igitur Spartanas, quisve Sabinas  
 6 conferat ? Has chartis vidimus, hanc oculis.

## AD PERAFANUM RIBERAM, PRINCIPEM OPTIMUM.

E\_57 v.1 Vere opus egregium, te magno et principe dignum,  
 2 relliquias prisca temporis excolere,  
 3 et statuas animare, vorax quas perdidit aevum,  
 4 truncaque nativo reddere membra loco.  
 5 Hoc deerat, Peraphane, tuis illustribus actis,  
 6 esse aequum, esse pium te quoque marmoribus.

## AD EUMDEM.

E\_58 v.1 Conspicuas statuis ornare insignibus aedes,  
 2 hoc est aequoreis addere flumen aquis.  
 3 Nam quis te veterum major, quis clarior Heros ?  
 4 Ornantur domino satque superque suo.

## IN IMAGINEM VICTORIAE COLUMNAE PISCARIAE.

E\_59 v.1 Quae Dea ? Cui tantus decor est, quam Daedala pinxit  
 2 dextera, quae mutae vivere dat tabulae ?  
 3 Num forte est, nigro dum sic bene fulget amictu,  
 4 Cynthia, cum fusca lucida nocte micat ?  
 5 An Venus haec potius juvenis maestissima fato,  
 6 cum saevus tenerum perculit inguen aper ?  
 7 Cynthia non nobis, non sic Venus ipsa videtur :  
 8 Cynthia sed tamen est, et simul ipsa Venus.

9 Haec referens utramque Deam Victoria sola est :  
10 quaeque sit, haec poterit vel Dea picta loqui.

## AD MIRINAM.

E\_60 v.1 Mira animo, mira es forma, Mirina, fatemur,  
2 mira agis : hinc miro numine nomen habes.  
3 Das lacrimas, flammisque simul das tempore in uno,  
4 utque abeam in latices, utque abeam in cineres.  
5 Stillat ab igne liquor, lacrimis nutritur et ignis :  
6 ne peream, hoc varia est condicione malum.  
7 Vis ne igitur moriar ? Vis solvar compede ? Deme  
8 alterutrum : sic tu laeta, ego liber ero.

## IN LUNAM MALUM POETAM.

E\_61 v.1 Ut Parcas, bellum, lucos, letumque solemus  
2 dicere, mendaci nomina ficta joco :  
3 sic quoque te Lunam credam dixisse parentes,  
4 Luna vel infernis noctibus atra magis.  
5 Credideras lucem perituris tradere chartis,  
6 cum longis miseris obruis heu tenebris.  
7 I, Stygias i pelle umbras male lucida Luna :  
8 hic cupimus noctes te sine perpetuas.

## FERDINANDI PRIMI NEAPOLIS REGIS.

E\_62 v.1 Fernandus fueram felicis conditor aevi,  
2 qui pater, heu, patriae, qui decus orbis eram ;  
3 quem timere duces, reges coluere, brevis nunc  
4 urna habet : humanis i, modo fide bonis.

## FERDINANDI SECUNDI.

E\_63 v.1 Heu quando mors saeva adeo mortalibus umquam ?  
2 Heu quando tantum fata dedere mali ?  
3 Flos Regum Fernandus adit dum prima iuventae  
4 limina, Romanum dum superatque decus,  
5 mors gremio Italiae florentem surripit, ulla  
6 ne moriente illo spesve, salusve foret.  
7 Et querimur nos morte rapi, nos cedere fato,  
8 quando etiam assuescant numina et ipsa mori.

## FEDERICI NEAPOLIS REGIS.

E\_64 v.1 Infelix Federice, dolis data praeda tuorum,  
2 quis poterit fati non meminisse tui,  
3 quandoquidem immerito sceptris spoliatus avitis  
4 occidis, et profugum barbara terra tegit ?  
5 Heu sortem indignam : quae sustinuisse cadentem  
6 debuerat, stantem perdidit illa manus.

## DE CAROLO V CAESARE ET FRANCISCO GALLORUM REGE.

E\_65 v.1 Gallus ut armatas molirier undique pennas  
 2 vidit avem, magno quae gerit arma Jovi :  
 3 "En maris, en terrae fuga jam praeclusa : quid ergo  
 4 restat ?" ait "Caelum num quoque habet volucres ?"

## APUD VILLAM FAUSTINIANAM.

E\_66 v.1 Valle sub hac tenuis calamo contenta poetae  
 2 Musa, veni : est vallis vocibus apta tuis,  
 3 donec vicinus poterit dare commoda collis.  
 4 Saepe habuit parvus numina magna locus.

## AD ANTONIUM SEBASTIANUM MINTURNUM CROTONIATARUM PONTIFICEM.

E\_67 v.1 Linque jam vulgi strepitum profani,  
 2 linque ventosam patriam forumque ;  
 3 vive nunc paulum tibi : pelle et atra  
 4 nubila mente.  
 5 Aegla te ad mensam viridem reposcit,  
 6 pauperes ad divitias agelli.  
 7 Dives est multis epularum ad usum  
 8 hortulus herbis.  
 9 Est mihi, quamvis gelido December  
 10 imbre tellurem penetrarit imam,  
 11 est, licet flatu rigeant perusta  
 12 arva nivali,  
 13 multa vis florum, atque olerum : est in hortis  
 14 angulus, quem nec pede Faunus umquam  
 15 conterit, per dum sequitur Napaeas  
 16 florea prata.  
 17 Est mihi eruca, est mihi menta, quae jam  
 18 suscitent tardam Venerem, ac palatum :  
 19 est et in primis patriis amica  
 20 brassica campis.  
 21 Nil nocens caepa est, male nil olenti est  
 22 allium fibra : poterit puella  
 23 quod pati, haud sponda recubans suprema,  
 24 quod simul esse.  
 25 Sunt mihi (quamvis penus omne nil sit)  
 26 multa durati sale terga porci ;  
 27 est capus passa bene fartus uva,  
 28 est tener haedus,  
 29 quem manus nostri rapuit coloni  
 30 matris a pingui modo lacte, nunc et  
 31 parvus (haud fallo) mihi verna odoro  
 32 gramine pascit.  
 33 Quin licet plenus mihi non vetusti  
 34 sit cadus Graeci, neque sit Cirellae,  
 35 nec Masaquanae mihi blanda, nec sint  
 36 vina Vesevi ;  
 37 sunt tamen quae Pausilypum dat, et quae  
 38 dives arbusti mihi Faustiana  
 39 mittit antiquo lare, culta ruris  
 40 nympa paterni.

41 Et quod est mensae magis otiosae  
 42 dulce, quod carum magis est amicis,  
 43 laeta frons, salsus lepor, apta castis  
 44 gratia verbis  
 45 condient mundo tenue apparatu  
 46 prandium : quis scit, tibi si futura  
 47 fulserit lux ? Vive hodie, manet cras  
 48 flebilis urna.  
 49 I puer, quisnam retinet ? Reposta  
 50 ligna (jam poscit focus) adde, mox et  
 51 affer in primis mihi grata magni  
 52 carmina Flacci.

## PYRRHI CAMEROTANI PIETAS.

E\_68 v.1 Dum, Palinure, tuas rapitur Montana per undas,  
 2 heu Cilicum dira praeda subacta manu,  
 3 evolat ad gemitum Pyrrhus, raptamque secutus  
 4 non dubitat matris vincla subire suae ;  
 5 dumque natat pietate celer, pietate fit audax,  
 6 strataque jam faciles praebuit unda vias :  
 7 reddita tum mater, natus nova praeda relictus,  
 8 sensere et miseram libera colla vicem.  
 9 Praeclarum pietatis opus : dum servus haberis,  
 10 liber es, et victus vincere, Pyrrhe, potes.

## PRO SCIPIONE GENNARIO AMICO.

E\_69 v.1 Vidit ut illis scopulo fregisse carinam,  
 2 ac socium irato vix superesse mari,  
 3 Tyrrheni Lycidas piscator litoris, ut tum  
 4 retia forte imis plena trahebat aquis :  
 5 "Haec Neptune, inquit, tibi do servatum ob amicum  
 6 munera : lina, hamos, vimineasque casas.  
 7 Sic votum est : alii posthac tua regna lacesant,  
 8 squamigerumque agitent uda per arva gregem."  
 9 Dixerat ille : fremens totis Deus annuit undis,  
 10 rerque sonum pelago fuscina mota dedit.

## IN SCALAM.

E\_70 v.1 Cum moriens circum flentes spectaret amicos  
 2 Scala, tui in primis gloria, Bacche, chori,  
 3 "Ecquid, ait, fletis ? Nequicquam fletis amici,  
 4 vos mihi pro lacrimis fundere vina decet.  
 5 Posthac Elysios habeat sibi, qui volet, agros :  
 6 Styx mihi cara magis, si modo vina ferat."

## IN EUMDEM.

E\_71 v.1 Linquere vinosos properat dum spiritus artus,  
 2 plus vini infernis manibus esse ratus,  
 3 scala illum exoptans revocare, "Immergite vino  
 4 corpus, ait, constat spiritus ipse mero."



5 Nec plura. En subito patera est allata cubanti :  
 6 atque anima in vinum, quo prius orta, abiit.  
 7 Tu quicumque sitis, posthac mala vina caveto :  
 8 non vinum, ast hominem, si bibis, ipse bibes.

## IN EUMDEM.

E\_72 v.1 Marmora sint aliis, praecingant busta coronae,  
 2 mutus et Eoo spiret odore cinis :  
 3 Mi cadus est tumulus ; crateres busta coronent,  
 4 annoso madeant ebria membra mero.

## LYCIDAE JUVENIS JOCUS.

E\_73 v.1 Quae sunt, quae roseis spirant, mea Nisa, labellis,  
 2 heu bona nata meo satque, superque malo ?  
 3 Hinc color exsuperat Paestana rosaria, et illinc  
 4 stillat, cui similem non habet Hybla, liquor.  
 5 Quinetiam prae illis Veneres, Charitesque, et Amores  
 6 crediderim patriam posthabuisse Paphon.  
 7 Atque ego cum faciles furtiva per oscula lusus  
 8 experior, raro et si datur id misero,  
 9 tum me animus linquit dulcedine captus amica,  
 10 mox iterata animum basia restituunt.

## AD PETILLAM.

E\_74 v.1 Nescio quem fama est, ne ferrea saecula videret,  
 2 exeruisse sua lumina cara manu :  
 3 sic ubi te novi mutata mente, Petilla,  
 4 venalem pretio deseruisse fidem,  
 5 debuimus, quae te spectarunt lumina primum,  
 6 ne te ipsam aspicerent amplius, exserere.

## IN PLACTUM.

E\_75 v.1 Placte, nihil debes, nil debes, Placte, fatemur :  
 2 debet enim, si quis solvere, Placte, potest.

## TUMULUS DAVALI PISCARII.

E\_76 v.1 Quid sceptrum ad tumulum ? Vincit quid compede Reges ?  
 2 Quidve tot invicta parta tropaea manu ?  
 3 Quid galeae, quid scuta nitent ? Quid pila ? Quid enses ?  
 4 Quid viret aeternis laurus amica comis ?  
 5 Num Mars, an Davalus tumulo jacet ? Hic situs ille est  
 6 heu Davalus, quin Mars cum Davalo ipse jacet.

## JOCUS FURENTIS.

E\_77 v.1 Suavia quot tibi surripio, mea Lucia, tot sunt  
 2 vulnera, Apollinea non medicanda manu ;

3       suavia quotque mihi tu non invita retorques  
4       in me tot saevus spicula torquet Amor :  
5       spicula figat Amor, stillent jam membra cruore,  
6       dum modo surripiam suavia, et accipiam.

IN FUNERE SALVATORIS ROTAE FRATRIS.

E\_78    v.1     Haud querimur, quod nos lacrimis, tenebrisque relinquo,  
          2       quodque abeas gremio tam cito rapte meo ;  
          3       at querimur tantum, sine te quod vivimus : hoc est  
          4       quod facit aeterno velle dolore queri.  
          5       Tu longaeva satis vixisti tempora : quando  
          6       tempora sunt meritis, non numeranda die.

DE PHAUSINA NIPHI.

E\_79    v.1     Pulchra nimis vehitur roseis quae Dia quadrigis,  
          2       Phausina humano lumine pulchra nimis.  
          3       Utraque luce orbem exhilarat, lucemque ministrat :  
          4       hoc differre tamen credere utramque decet.  
          5       Illa olim juvenem potuit vix flectere amantem,  
          6       haec etiam gelidum perdit amore senem.

DE EADEM.

E\_80    v.1     Nil mirum si Niphus amat, si deperit unam  
          2       auroram insueto perditus igne senex :  
          3       nam fatis cautum est, terris excludat ut unum,  
          4       utque alium caelo diligat illa senem.

EPITAPHIUM HYLLI.

E\_81    v.1     Hyllus erat, nunc pulvis iners ; mors vita sed illi  
          2       venit : erat nihilum, nunc tamen est aliquid.

DE MERGILLINA ACTII.

E\_82    v.1     Quicumque Aonio perquiris vertice Musas,  
          2       quaere alio : hinc abeunt, hospitium est aliud.  
          3       Mergillina tenet felici litore : tu si  
          4       quaeris eas, montem desere, litus adi.

AD AMICOS ROMAE DEGENTES.

E\_83    v.1     Guide, Caesari, Capilupe, Palon,  
          2       quos penes vivit mea mens, et omne  
          3       quicquid est nostri reliquum, valete :  
          4       cogor abire.  
          5       Jam vale, o sacri pater alme fontis,  
          6       o triumphati caput orbis, o qui  
          7       ducis a caelo Tiberine magni  
          8       fluminis ortum.

9 Me vocat Siren patrias ad undas,  
 10 dulcis ad notos scopulos arenae ;  
 11 me vocant horti Hesperidum, perenni  
 12 flore nitentes.  
 13 Me Rotae gratos vocat ad recessus  
 14 Aegla curarum requies, paratque  
 15 quae meis lauros faciant virentem  
 16 crinibus umbram.  
 17 Jam vocat me Pausilypus, canenti  
 18 plaudit et clari tumulus Maronis,  
 19 me vocat toto veneranda Mergil-  
 20 -lina profundo.  
 21 O vale tandem mea Roma, jam te,  
 22 quae solent curae teneant inanes,  
 23 me juvet semper vacuum serenas  
 24 ducere noctes.  
 25 Me juvet cantu revocare ab imo  
 26 aequore ad litus liquidas sorores,  
 27 dum vehor Tuscis per amica primus  
 28 caerulea remis,  
 29 dumque piscantum varios amores  
 30 cantat ad parvi leve murmur amnis  
 31 Musa, et aeternis studiosa tentat  
 32 vivere chartis.

## DE NISA ET VENERE.

E\_84 v.1 Tela reperta tui viridi sub gramine nati  
 2 en tibi Nisa Venus cortice fixa dicat.  
 3 "Tu modo ne puero (nulli scit parcere) reddas :  
 4 ni facis, ipsa iterum fabula turpis eris."

## MINERVA AD COSMUM MEDICEN, MAGNUM HETRURIAE DUCEM.

E\_85 v.1 Seu pacem, seu bella geras, Dux inclyte, semper  
 2 tecum adsum aetherei vertice nata Jovis.  
 3 Me tibi dat comitem tua virtus : linqere Olympum  
 4 tu facis. An posset plus pater in superos ?

## IN OBITU OCTAVII PAPPACODAE.

E\_86 v.1 Dum se se ostentat miles, Mars glande corusca  
 2 heu juvenem matris percutit in gremio.  
 3 Quis fatum fugiet ? Fugientem saevius urget :  
 4 quas volet inveniet mors inopina vias.

## DE LUCRETIA BRANCIA MATRE.

E\_87 v.1 Pro patria ut vidit perculsum vulnere natum  
 2 Brancia, praestanti pectore sic loquitur :  
 3 "Non lacrimis te, nate, sequar, sed te sequar eheu  
 4 mente, animo : haec tibi do, cum dare plus nequeam."

## AD JO. BAPTISTAM ARCUCIUM.

E\_88 v.1 Vivet Arcuci, mihi crede, vivet  
 2 carmen invita Lachesis severae  
 3 dextera, invito nimium voracis  
 4 temporis haustu.  
 5 Sperne fatorum invidiam obstinatam :  
 6 quid mihi invisi tenebrae sepulcri ?  
 7 Surget extremis cineri favillis  
 8 fama superstes.  
 9 Te colunt Musae, tibi plaudit antrum  
 10 Aonis, casti fluit unda fontis ;  
 11 ima sat nobis potuisse saxa  
 12 lambere Pindi.

## AD RODULPHUM PIUM CARDINALEM.

E\_89 v.1 Insignis pietate Heros, si dira Celaeno,  
 2 si percussa tua corruet Hydra manu ;  
 3 si cernam valido devinctum Protea nodo,  
 4 qui nos insuetis ludit imaginibus,  
 5 non te marmoreum Tiberina ad flumina ponam,  
 6 sed vivum nostro pectore numen eris.

## DE GEORGII MONTII INTERITU.

E\_90 v.1 Ah fatum infelix, ludens cur Martia pubes,  
 2 cum dare credideras gaudia, das lacrimas ?  
 3 Aenea glans celeres volitans ignita per auras  
 4 incauto juveni funera caeca tulit.  
 5 Parcite : quem petitis, non est invisus Adonis,  
 6 seu, Vulcane, paras, seu, male Mars, facinus.  
 7 Ingenio excoluit Pallas, Cyllenius arte :  
 8 quo ruitis ? Vestrum est perdere turpe genus.

## AD ANTONIUM CARACCIOLUM SALVATORIS FILIUM.

E\_91 v.1 Solvimur in lacrimas, cum findit Sirius agros,  
 2 liquimur in flammis, cum premit arva gelu,  
 3 quinetiam medio prorumpit Nilus ab aestu,  
 4 eque meis lacrimis Aetna alia exoritur.  
 5 Nec liquet inter aquas quae sit nova causa caloris,  
 6 nec cur perpetuo manet ab igne liquor ;  
 7 Antoni, cui notus Amor, mihi consule, cur sic  
 8 fons abeam in flammis, flamma abeam in lacrimas.

## AD DECIUM SERIUM.

E\_92 v.1 Sat tibi mi Seri discordas nomine, cum sis  
 2 Serius haud umquam, semper at ipse jocus.

## DE DONATO ANTONIO ALTIMARO MEDICO INSIGNI.

E\_93 v.1 Viderat Altimarum medica Mors saepius arte  
 2 mortales manibus surripuisse suis :  
 3 invidit, gemitque furens. Mox mala veneno  
 4 imbuit : ille vorans Tartara paene subit.  
 5 Phoebus at immeritum nigro revocavit ab Orco,  
 6 ne simul humanum perderet ipsa genus.

DE AMORE MARMOREO DORMIENTE.

E\_94 v.1 Captanti somnum ne credas hospes Amori :  
 2 cum dormit, magis est ad tua damna vigil.

DE EODEM.

E\_95 v.1 Quid si marmoreus ? Quid si super arma recumbit ?  
 2 Idem marmoreus, idem et inermis Amor.

DE EODEM.

E\_96 v.1 Ne credas puero, simulans nam claudit ocellos ;  
 2 nulla fides puero : si sapis ipse cave.

DE EODEM.

E\_97 v.1 Dormiat aeternum, ne cures rumpere somnum :  
 2 experrectus agit fortius arma puer.

DE EODEM.

E\_98 v.1 Somniat assuetas caedes, rixasque, dolosque :  
 2 cum dormit malus est, cum vigilatque malus.

DE EODEM.

E\_99 v.1 Jactat adhuc flammas, letales dirigit ictus,  
 2 dum parvo incisus marmore dormit Amor.

DE EODEM.

E\_100 v.1 Si tu iterum tractes, dices, ita spirat imago,  
 2 "An ne anima est marmor ? Marmor an est anima ?"

DE EODEM.

E\_101 v.1 Hunc credam potumque merum, pastumque papaver,  
 2 cum tuba nec somnos excitet ulla suos.

DE EODEM.

E\_102 v.1 Quantumvis stertat, quantumvis lumina claudat,  
2 non credam, Juret tela, facesque licet.

DE EODEM.

E\_103 v.1 Ad gemitum dormitat Amor : lamenta, querelae  
2 sunt illi cantus, sunt gemitus citharae.

DE EODEM.

E\_104 v.1 Pelle puer muscam, quae tentat rumpere somnum :  
2 Cum requiescit Amor, tunc requiescit amans.

DE EODEM.

E\_105 v.1 Lassus Amor dormit, ventos agitare flabello  
2 ne pigeat : pugnae membra labore calent.

DE EODEM.

E\_106 v.1 Carpe iter o tacitus, leviter vestigia tende :  
2 paeniteat, si te sentiat ipse puer.

DE EODEM.

E\_107 v.1 Surge Amor, en medium Titan conscendit Olympum :  
2 laus est pervigilem surgere ad arma ducem.

DE EODEM.

E\_108 v.1 Dormit Amor ? Dormit, somnum ne rumpere tentes :  
2 pertimuit vigilem fingere Praxiteles.

DE EODEM.

E\_109 v.1 "Marmora quando animat, dormire et marmora cogit :  
2 uni Praxiteli cedimus", inquit Amor.

DE EODEM.

E\_110 v.1 "Nescio, Praxiteles dixit, num spiritus hoc sit  
2 marmoreus, num quod fingo animata silex."

JOCUS.

E\_111 v.1 Sive Dryas, seu Nais ades, lege carmen amicum,  
2 haud risu indigna est res, mihi crede, novo.  
3 Dormieram, aggreditur Veneris puer, excitor armis,  
4 dum tractat tenera tela cruenta manu.

5 "Pone arma, exclamo, tecum quis dimicet armis ?"  
 6 Mox puerum apprehendi, detinuique sinu.  
 7 Ille fugit, matrique refert, sed mater ab ulnis  
 8 rejicit : optato Mars aderat gremio.  
 9 Tum puer in matrem regerit convicia, mater  
 10 verberat : ad gemitum conveniunt superi,  
 11 quos inter praeceps currit Vulcanus, et amens  
 12 labitur, hinc pedibus claudus utrisque jacet.

## AD ANTONIUM AURIAM.

E\_112 v.1 Magne senex, vasti cui parent regna profundi,  
 2 servit et aequorei caerulea turba chori,  
 3 Auria tu dici, seu mavis Doria utrumque  
 4 convenit, ipse parum tu modo verte notas,  
 5 seu, te quod decorent ingentia et aurea facta,  
 6 sive, quod ex ferro haec aurea saecula facis,  
 7 seu, quod sit mater Doris, vel Adorea, certent  
 8 mille triumphati quae dare sarta maris.  
 9 Vive, senex victor, Neptuni quem decet unum  
 10 fuscina : dum vivent aequora, vive, senex.

## AD MARIUM GALEOTAM.

E\_113 v.1 Quas Charites pictis violas junxere corollis,  
 2 quas Venus auratis implicuitque comis,  
 3 quasque rigavit Amor, lacrimis quas lavit amantum,  
 4 in primis lacrimis, mi Galeota tuis,  
 5 Ecce ferus subito foedatis unguibus, Ursus  
 6 colligit, intactum dedecoratque decus.  
 7 Deceptum agricolae semper genus : i, cole flores :  
 8 quas meruit violas Jupiter, Ursus habet.

## AD GELLAM.

E\_114 v.1 Esse Deos, meritas scelerumque reposcere poenas,  
 2 tu satis exemplo es, perfida Gella, tuo.  
 3 Nempe doles dentes : num forte impune putabas  
 4 semper amatorum corda comesse hominum ?

## POETAE PICTI AD SERENOS ACADEMICOS.

E\_115 v.1 Servate aeterni vestigia nostra Sereni,  
 2 reddat ut hic pictos vos quoque posteritas.  
 3 Qui favit nobis, idem nunc regnat Apollo :  
 4 quae fuit, est eadem nunc Heliconis aqua.

## IN FUNERE JO. BAPTISTAE ACTII, TERTIAE DOMINI.

E\_116 v.1 Actius et Phoebus, Syncerus et Actius alter,  
 2 Actius hos inter Tertius ipse micat.

## DE EODEM.

E\_117 v.1 Quod tua dilectae placuissent carmina Lunae,  
 2 nempe tuo fas est credere ab interitu.  
 3 Perpetuo retinet sopitum te Dea somno :  
 4 Endymiona brevi tempore restituit.

## EPITAPHIUM THOMASII DURI ET JULIAE ROTAE CONJUGIS.

E\_118 v.1 Felices, quibus una fuit mens semper, et una  
 2 quos tulit hora, simul quos lapis unus habet.

## AD FRANCISCUM PASQUALINUM, DE JACOBO PUTEO CARDINALI.

E\_119 v.1 Pasqualine, sacri Putei caelestibus undis  
 2 si dabitur longam pellere posse sitim,  
 3 tunc mihi non puteus, vere sed Castalius fons  
 4 ille erit, et putei nectaris instar aqua.

## IN CAPUT MARMOREUM.

E\_120 v.1 Indicat ante fores adaperto marmor hiatu  
 2 accensum dominum sanguinis esse siti.

## DE ANDREA REGE, LAQUEO INTEREMPTO.

E\_121 v.1 Andream regem immeritum mala strangulat uxor,  
 2 Mox vili imprudens condit alumnus humo.  
 3 Connubium infelix, pietas nimis impia : utroque  
 4 laeditur. Haec laqueo strangulat, hic tumulo.

## AMORIS SERVI TUMULUS APUD ROTAM VILLAM.

E\_122 v.1 Serve Amor, hortorum custos, dominique voluptas,  
 2 hoc te sublimem constitui in tumulo,  
 3 ut quae tanta fuit viventi, haec ipsa sepulto  
 4 incustoditi sit tibi cura loci.

## IN AURUM.

E\_123 v.1 Seu quod formidet fures, seu criminis aurum  
 2 quod poenam fugiat, pallet et usque latet.

## EPITAPHIUM CATELLI.

E\_124 v.1 Latravi ad furem, tacui, cum venit amator :  
 2 sic et hero placui, sic et herae placui.

## AD DECIUM SERIUM, DE LUCRETIA TUSCA.



E\_125 v.1 Tusca pudicitiae renovans Lucretia nomen,  
 2 cum foret hostili praeda petita manu,  
 3 praecipitat primum sese de culmine tecti,  
 4 ne laesus caderet virginitatis honos.  
 5 Atque ubi jam novit frustra cecidisse, propinqui  
 6 Arni ponte ruit, nec pia mersit aqua.  
 7 "Ecquid, ait, poterone mori ? Moriamur." Et undis  
 8 obruit invictum terque, quaterque caput.  
 9 Cedat, Seri, igitur Tuscae Romana puellae :  
 10 utraque casta, sed haec ter cadit, illa semel.

QUINTERII TUMULUS.

E\_126 v.1 Quintus adhuc tumulo lites intendit, et omnes  
 2 cum Quinto lites, insidiaeque jacent.  
 3 Tu fuge, quisquis ades, vereor, ne te quoque fallat :  
 4 dum legis, insidias ossa sepulta parant.

IN TURRI APUD FAUSTINANAM VILLAM.

E\_127 v.1 Huc fugite o Dryades, dominus loca tuta paravit,  
 2 ne vos, dum sequitur, Pausilypus rapiat.

ANTONIUS EPICURUS SCIPIONI FILIO SOLVIT INFERIAS.

E\_128 v.1 Quas tu debueras lacrimas mihi, nate, parenti,  
 2 quae juvenis misero solvere justa seni ;  
 3 heu tibi fatorum non aequa lege paravi  
 4 infelix simulacrum, umbraque maesta pater.  
 5 Et quando semper mecum tua vivet imago,  
 6 sit tibi pro tumulo mens, animusque patris.

PORTUNUS DE CAESARE NAVIGANTE.

E\_129 v.1 Nusquam abero, donec victorem litore sistam,  
 2 qua sol Eoos lustrat et Hesperios.  
 3 Cede, pater Neptune : uni parere necesse est.  
 4 Terrestri posthac serviat unda Deo.

DE PETRO GAMBACURTA.

E\_130 v.1 O Hymen roseas para corollas ;  
 2 accende o faculas, Venus, gemellas  
 3 perlustrans Paphio domum liquore :  
 4 Gambacurta venit novus maritus,  
 5 currit ad thalamum salax, procaxque :  
 6 verum somniat, haud canit Poeta,  
 7 non non ipse potest maritus esse,  
 8 hostis qui thalami impotens, et acer  
 9 gaudet caelibe rex, deusque vita :  
 10 Gambacurta frequens puellularum  
 11 sectator, colit aula quas beata,  
 12 quas comptus niveus, nitorque mollis

13 nutrit perniciem in malam aulicorum,  
 14 Gambacurta jocus puellularum,  
 15 totus deliciae, facetiaequae ;  
 16 quin totusque puella, totus aula.

VECTULA DE TUMULO LOQUITUR.

E\_131 v.1 Quae vaga per colles currebam, perque lacunas  
 2 non contenta urbis ire, redire vias,  
 3 Vectula bigarum labor, indefessa pedumque  
 4 tempestas, vix hoc marmore detineor.  
 5 Ne tollas lapidem : si tolles, ipsa resurgam  
 6 bigarum ad caedem, perniciemque pedum.

DE CAELIO MAGNO VENETO.

E\_132 v.1 Areat omnis ager, lacrimans si Caelius adsit,  
 2 aridus humescet protinus omnis ager.  
 3 Humeat omnis ager, suspirans Caelius adsit,  
 4 humidus arescet protinus omnis ager.

IN POETAM FUGIENTEM.

E\_133 v.1 Hostis adest, litusque tenet, tum veste relicta  
 2 ad montem fugiens scripta poeta rapit.  
 3 O mens caeca mihi, series praepostera rerum !  
 4 Crede mihi, melius perdere scripta foret.

AD FRANCISCUM PLANTEDIUM.

E\_134 v.1 Plantedi, procul hinc Catonianum  
 2 sit supercilium, et Sabina ruga :  
 3 quis neget juveni jocos poetae ?  
 4 Quis neget fatuae jocos juventae ?  
 5 Licet desipere in loco, et jocari  
 6 interdum licet, ac furens videri.  
 7 Lingua mi blaterat, ruit, rotatque,  
 8 lubrico ut rota currit acta divo :  
 9 praeceps labitur in profana verba,  
 10 persaepe et vomit id, quod ipse nolim.  
 11 Hinc me paenitet esse sic locutum.  
 12 Obscaenus calamus, pudens voluntas.  
 13 Parcendum juveni semel poetae,  
 14 parcendum fatuae semel juventae.

AD JULIUM CAESAREM CARACCIOLUM COMPATREM.

E\_135 v.1 An manus ulla tua teneros descripsit amores,  
 2 compater, anne jocos dulcius, anne sales ?  
 3 Sis modo ne chirager, podager sis usque licebit,  
 4 nam pede non scribis, scribis at ipse manu.

## IN NELLUM GALLUM.

E\_136 v.1 Scrutatur statuas, scrutatur carmina Nellus :  
 2 jactat utrumque miser, nescit utrumque miser.  
 3 Infelix censor statuarum, et carminis idem,  
 4 quam male cum statuis, carminibusque tibi est.  
 5 Felices statucae, felicia carmina, felix  
 6 ipsa domus, cui non sensus et auris inest.

## DE P. PAULO RICCOMANNO ET ALFONSO TAMASIO.

E\_137 v.1 Huc huc hendecasyllabi trecenti,  
 2 quos Riccus meus, et meus Tamasus  
 3 promunt ingenio, rigantque chartis :  
 4 huc piaae lacrimae, potensque fletus :  
 5 huc huc illecebrae, precesque blandae,  
 6 ira Lucia saevit impotenti.  
 7 Nunc opus lacrimis, potente fletu,  
 8 nunc nunc hendecasyllabis trecentis,  
 9 quos Riccus meus, et meus Tamasus  
 10 promunt ingenio, rigantque chartis.  
 11 Verum si miserum parum juvabunt,  
 12 ira et Lucia saevit impotenti,  
 13 valete, o lacrimae, potensque fletus,  
 14 valete hendecasyllabi trecenti.

## AD JOANNAM ARAGONIAM.

E\_138 v.1 Cum modo conferrent tibi tradita munera, Phoebos  
 2 iudice (sic placitum est) Juno, Minerva, Venus,  
 3 divitias Juno, formam tribuisse Dione,  
 4 jactat et ingenii Pallas amica decus.  
 5 "Cedite, ait, potius Phoebus ; lis omnis abesto :  
 6 una Aragona, una est Juno, Minerva, Venus."

## AD FRANCISCUM PASQUALINUM ET HIPPOLYTUM CAPILUPUM.

E\_139 v.1 Si vos tuta meis fulsistis signa procellis,  
 2 o animae illustres ore, fide, ingenio,  
 3 Pasqualine, mei pars, et, Capilupe, laboris,  
 4 quis neget esse novos vos mihi Tyndaridas ?

## AD HADRIANUM GULIELMUM.

E\_140 v.1 Uror, amo, excrucior, divellor, saucior, odi,  
 2 surripior, jactor, restituor, jaceo,  
 3 irascor, fugito, sileo, queror, insequor, opto,  
 4 despero, spero, decipior, metuo :  
 5 haec in amore meo sunt, mi Gulielme, nec ipse  
 6 heu morior, cum jam vivere desierim.

## AD JO. BAPTISTAM PORTAM.

E\_141 v.1 Cum dormit mea Nisa Venus, Venus ipsa videtur  
 2 cum vigilat : semper sic mea Nisa Venus.  
 3 A Venere hoc tantum differt : prece Cypria quondam  
 4 victa fuit ; non haec sanguine, non precibus.  
 5 Quid faciat, mi Porta, tuus Rota, consule : quando es  
 6 ipse Dionaeae pars bona militiae.

## AD HIERONYMUM RUSCELLIUM.

E\_142 v.1 Scribis, ego ut scribam : non est, quod scribere possim,  
 2 Ruscelli, Aoniae rivule dulcis aquae :  
 3 jussit Amor reticere diu, ne forte triumphum,  
 4 quem de se retulit Lucia, detegerem.  
 5 Mene igitur poteris servum damnare silentem,  
 6 qui premar imperio, quo premitur dominus ?

## DE PALLADE ET BACCHO.

E\_143 v.1 Undique septam oleam vidit pendentibus uvis,  
 2 et risum simulans talia Pallas ait :  
 3 "Nulla Lyaeae tibi ratio cum Pallade : nam tu  
 4 ebrius, incestus ; sobria, casta soror."

## AD JORDANUM PASCASIUM, DE MARIANO AGRO IN MARSIS.

E\_144 v.1 Dic, nive cur media vireant sata laeta Marani,  
 2 Pascasi, vatis pars adamata tui ?  
 3 Dant lacrimae pluviam, suspiria nostra calorem :  
 4 est Amor, est nostri temporis agricola.

## DE SE IPSO ET AMORE SERVO.

E\_145 v.1 Servit Amor domino, dominus cur servit Amori ?  
 2 Alter Amor dominus, servus et alter Amor.

## DE EODEM SERVO AMORE.

E\_146 v.1 Imberbem puerum satis tenellum,  
 2 castum, candidulum Deum putabam  
 3 Amorem, ac dominum omnium Deorum.  
 4 Ast Amor secus atque ego putabam  
 5 repertus, genus Afer, impudicus,  
 6 custos compede vinctus hortulorum,  
 7 et qui serviat omnibus colonis,  
 8 cui pili obsideant genas rigentes,  
 9 cui barba obrigeat viri jam adulti,  
 10 non quidem pueri satis tenelli :  
 11 est Amor secus, atque ego putabam.

## AD NITEDULAM.

E\_147 v.1 Quid circum volitas, nocturna Nitedula, saepem,

2           fida comes nostri conscia propositi ?  
 3       Siste parum, carae dum nos ad limina Nisae  
 4           mittit Amor, tenebras luce repelle tua.  
 5       Quando ustum ingenti pectus mihi flagrat ab igni,  
 6           nec vel tantillum luminis inde venit.  
 7       Siste procul tamen ipsa, meo ne forte calore  
 8           in flammis abeas tuque, nemusque tuum.

IN PRAEPOSTEROS MORES.

E\_148   v.1       Est modo sancitum de muris busta revelli :  
           2           hoc asinum est per caudam et capere, et trahere.  
           3       O seriem rerum inversam ! Via recta terenda est :  
           4           vellendi mores, non tabulae, aut lapides.

AD CAMILLUM PAGANUM, DE MARCO ANTONIO COLUMNA.

E\_149   v.1       Optet Idumaeas sibi quisque, Camille, columnas,  
           2           dum Romana tuae sit comes una viae.

AD FERDINANDUM LOFFREDUM,  
 TRIVICI DOMINUM, DE PERAPHANO RIBERA, PRINCIPE OPTIMO.

E\_150   v.1       O Luculleae villae, virtutis et heres,  
           2           Loffrede, antiquae lux nova militiae,  
           3       dic, qua voce feram Peraphani ad sidera laudes :  
           4           non sum qui tanti principis acta sequar.  
           5       Quis vastum Oceanum rimosa claudet in urna ?  
           6           Innumeras stellas quis numerare queat ?  
           7       Hunc quocumque tamen pinget mea Musa colore,  
           8           saepe orbem immensum parva tabella refert.

AD ALFONSUM CARRAFAM, CARDINALEM NEAPOLITANORUM.

E\_151   v.1       Cum simul in te uno splendescant ordine miro,  
           2           o juvenis sacrae spesque, decusque ratis,  
           3       admirata olim quaecumque est docta vetustas,  
           4           de te quid digne dicere quis poterit ?  
           5       Tu satis unus eras aeterno carmen Homero,  
           6           Virgilio carmen tu satis unus eras.  
           7       Mi sat erit spectare procul tua lumina, ceu quis  
           8           Eois Solem surgere cernat aquis.

AD PHOEBUM, PRO PAULO QUARTO PONTIFICE MAXIMO.

E\_152   v.1       Collis o sacri decus, o beati  
           2           fontis, o pulchri nemorisque custos,  
           3       Phoebe, Musarum pater, o perennis  
           4           luminis auctor ;  
           5       Phoebe, mundi spiritus, atque ocelle,  
           6           quem dies circumvolitant, et horae,  
           7       qui soles aegros etiam nigranti au-

8                   -ferre sepulcro,  
 9       desere argutae juga laeta silvae,  
 10       lingue jam suetas choreas, et umbram  
 11       arboris frustra olim adamatae, et antri  
 12                   saxa canori.  
 13       O veni, o dexter faveas, et affer  
 14       quicquid herbarum, medicivae succi est,  
 15       dum patrem sacrum retinet molesta  
 16                   febris, et urit.  
 17       Ecquis o Musis locus, ecquae erit spes ?  
 18       Nulla posthac gloria, nulla erit laus,  
 19       si cadet, secum cadet ipse ab alto  
 20                   vertice Pindus.  
 21       Ecquem habebit religio nitorem,  
 22       barbara squalens scabie, relinquet  
 23       ille si caecis abiens tenebris  
 24                   obruta saecula ?  
 25       Cerue, muscoso Tiberinus alveo,  
 26       ut modo in ripam exsiliens propinquam  
 27       amne votivam tibi pronus aram  
 28                   supplice ponat.  
 29       Te lyra jam posthabita precatur  
 30       nobilis nunc Parthenope, vovetque  
 31       jam novos Siren numeros, novoque  
 32                   pectine chordas.  
 33       Quin Maronis mox tumulo excitabit  
 34       inclytam umbram, carmine quae superbo  
 35       efferat Paeana tuum, canatque  
 36                   fortia facta ;  
 37       ut cute erepta in laticem ire coepit  
 38       impari cantu, imparibusque fatis  
 39       Marsya, ut Titania celsa ab arce  
 40                   turba repulsa est ;  
 41       utque victrici cecidit sagitta  
 42       anguis, ut Cyclops jacuit peremptus,  
 43       ut coma intonsa niteas decorus,  
 44                   fortis et arcu.  
 45       Verum ego innixus levioere plectro  
 46       Daphnidis fatum referam, fugamque,  
 47       et canam in flores pueros acerbo  
 48                   funere versos.  
 49       Aegla ubi ad nostros gemitus resultat,  
 50       Aegla jucundi mihi testis oti,  
 51       saepe quam gaudes alacris relicto  
 52                   visere Cyntho.

DE MARIA ARAGONIA.

E\_153 v.1       Dum petit Inarimen Divum pater, ac sua jactat  
           2       fulmina, teque sua, victe Typhoeae, manu ;  
           3       "Quid jactas ?" Maria exclamat, "Si vera fateris  
           4       nostra tuis praestant lumina fulminibus.  
           5       Cernere vis, oculis quae sint nova fulmina nostris ?"  
           6       Annuit ille, oculis fulminat ipsa Jovem.

AD MUSAS DE CAROLO V CAESARE.

E\_154 v.1 Custodes sacri laticis, bona numina, Phoebi  
 2 llecta cohors, quibus est vincere fata datum,  
 3 scribite virginei hoc excisis cautibus antri,  
 4 aevi quod numquam deleat atra manus :  
 5 "Cedite Romani ductores, cedite Graii,  
 6 quod nequiere omnes, Carolus unus agit."

AD PERAPHANUM RIBERAM, PRINCIPEM OPTIMUM.

E\_155 v.1 Es similis, Peraphane, Deis : sed quod colit unum  
 2 Austriades, tanti te facit, ecquid eris ?

AD BERNARDUM TASSUM.

E\_156 v.1 Sume rosam, utque scias medio cur nata Decembri,  
 2 est rosa, crede, tuae Phyllidis orta genis.

LAURA COSSA SOLVIT INFERIAS FERDINANDO ROTAE CONJUGI.

E\_157 v.1 Laurus eram viridis : sine te nunc arida quercus,  
 2 fulmine sum duris Alpibus icta Jovis.  
 3 Quae tamen ipsa mei reliqua est pars, si tamen ulla est,  
 4 illa jacet lacrimis usque rigata meis.

IN MENDACULUM.

E\_158 v.1 Non tibi non credam quicquam, Mendacule mendax,  
 2 etsi mi jures astra tenere Jovem.  
 3 An tibi vis credam, tacito quae pectore condis,  
 4 cum sint falsa tibi qualiacumque patent ?  
 5 Sunt exserti oculi, sunt et tibi crura retorta,  
 6 singula prava tibi, singula ficta tibi.

AD HADRIANUM GULIELMUM ET JO. BAPTISTAM PORTAM.

E\_159 v.1 Ecquis te melius poterit, Gulielme, referre  
 2 furtivas scripsit quas modo Porta notas ?  
 3 Ecquis item melius poterit te, Porta, referre,  
 4 quae Gulielmus habet signa vetusta domi ?  
 5 Dat lucem chartis alter, dat vivere saxis  
 6 alter : ita ingenio, ut sanguine, utriusque pares.  
 7 Alter utrunque refert : sic uno nomine siquis  
 8 alterutrum dicet, dicet utrumque simul.

AD NIGELLAM.

E\_160 v.1 Anne, Nigella, times nitidum pallescere florem,  
 2 quando humor vitam semper et aura dabunt.  
 3 Humor erunt lacrimae, suspiria pectoris aura :  
 4 nulla deficient humor et aura die.

## AD PAULUM SUARDUM, DE TRUTTA MARSO.

E\_161 v.1 Quod Trutta in rapidum praeceps se miserit amnem,  
 2 cuncta, Suarde, domi dum ferus hostis habet ;  
 3 naturae ingenitae vim tu mirabere ? Pisces  
 4 est vetus in patriis degere fluminibus.

## IN SERPILLULUM

E\_162 v.1 Quid tibi si minimum cogar nec credere verbum ?  
 2 Est tua mendaci barba retincta nuce.  
 3 Tene vocem corvum, cum sis, Serpillule, cycnus ?  
 4 Tene vocem juvenem jam cariose senex ?  
 5 Tunc adhibenda fides, cum tu verteris in illum,  
 6 qui fueras : nuper (quis putet ?) alter eras.

## AD HIERONYMUM SPINULAM.

E\_163 v.1 Spinula si placas animos, si pectora mulces  
 2 ingenio leni, moribus ingenuis,  
 3 Non tu crede mihi, spina es, quae pungit et urit,  
 4 sed quae perpetuis floret amica rosis.

## AD BEATRICEM DAVALAM.

E\_164 v.1 Ah tibi cur falso nomen posuere, Beatrix,  
 2 si per te veniunt et lacrimae et tenebrae ?  
 3 Vix lucem extuleras, patriam vix luce bearas,  
 4 cum tecum exstinctos mortua nos sepelis.

## IN HOMINEM DURISSIMUM.

E\_165 v.1 Ne mirere hominem fictum de marmore : vivus  
 2 marmor erat, numquam saxeus ipse minus.

## AD ANTONIUM GUIDUM MANTUANUM.

E\_166 v.1 Unde hieme in media redolent violaria ? Et unde  
 2 terra viret ? Veris possidet unde decus ?  
 3 An, mi Guide, domus superum ? Jovis anne penates,  
 4 dum peregre terras hunc coluisse ferunt ?  
 5 Hos superi posuere lares, domus una Deorum est  
 6 Mantua divini patria Virgilii.

## DE DIANA ET AMORE.

E\_167 v.1 Dum modo fonte labor venatu fessa, lavantem  
 2 aggreditur jaculis me male cautus Amor.  
 3 Tela tuli, fregique arcum, mox fracta per omnem  
 4 sevi agrum : sacrae parce, viator, humo.  
 5 Si nescis (Diana monet) tractare caveto :



6           retia, tela, ignem semina jacta dabunt.

MISERRIMI TUMULUS.

E\_168   v.1    Infelix vixi, tandem dolor ipse peremit.  
          2           Nescio cur vixi, sed scio cur perii.

AD NIGELLAM.

E\_169   v.1    Ut quis per lucem quoquo vestigia vertit,  
          2           ipsummet sequitur corporis umbra sui ;  
          3           sic ego, sic mea lux quoquo vestigia vertis,  
          4           te sequor huc illuc corporis umbra tui.  
          5           Non ego, quod videor, certe sum ; verum ego, quod tu es,  
          6           sum miser, et parcis non tamen ipsa tibi.  
          7           Hoc est, me miserum, quod te sequar usque vel umbra,  
          8           hoc est, quod memet nil fugere usque juvet.  
          9           Verum ubi fata volunt a nobis te procul esse,  
          10          nedum ego, quod soleo, sum umbra, sed ipse nihil.

AD VINCENTIUM CORNELIUM,  
OSTUNENSIVM PONTIFICEM, DE PORTUCARERO ET GRAZIA ARA.

E\_170   v.1    Non est, quod timeas pravi contagia saeculi,  
          2           cum sit, Corneli, Portus, et Ara tibi.  
          3           Portus ab irato servabit turbine rerum,  
          4           Araque placatos reddet amica Deos.

IN LYCIUM.

E\_171   v.1    Orator Lycius, medicus, sophus, atque poeta :  
          2           non ergo est unum, quattuor at Lycius.

DE DIDACO DAVALO CARDINALE ARAGONIO.

E\_172   v.1    Haec fuit Ascraeis modo lex sancita puellis,  
          2           Phoebea lauri cortice scripta manu :  
          3           "Jam Davalum posthac unum cantate, poetae :  
          4           unus erit cunctis carmen, et ingenium."

AD PLACIDUM SANGRIUM.

E\_173   v.1    Sangri, quid pictor, quid vivos reddere vultus  
          2           nititur, ut vana mens relevetur ope ?  
          3           Pectoribus nostris vivet Mendocius heros,  
          4           dum vivet recti, dum pietatis amor.

AD HIPPOLYTUM CAPILUPUM, FANENSIVM PONTIFICEM.

E\_174   v.1    Dent aurum, Capilupe, alii, dent quicquid Eoo  
          2           ad nos Hesperius litore nauta refert.

3 Plus dederis, si dulce dabis pro carmine carmen :  
4 ex animo tanti est quid dare, et accipere.

AD JO. FRANCISCUM BRANCALEONEM, MEDICUM ET ORATOREM.

E\_175 v.1 Cum media hibernae resonent aestate procellae,  
2 cum rigeant canae flava per arva nives,  
3 cur mirare fidem nullam mortalibus ? Ipsam  
4 non servant anni tempora, et astra fidem.

DE FONTE VARVAREO IN MARSIS.

E\_176 v.1 Pegaseos latices habeat sibi quisque poeta,  
2 dum mihi Varvarei copia sit laticis.  
3 Ipse simul fecit validum, fecitque poetam :  
4 haud cecini, haud valui ; nunc cano, nunc valeo.

AD DIONYSIUM ATHANASIUM.

E\_177 v.1 Athanasi, Hadriacas vehitur dum Nympha per undas,  
2 teque oculis media torquet, et urit aqua,  
3 nuncque Thetis visa est, patrio nunc Cypria ponto,  
4 addita Nereidum nunc nova Diva choris.  
5 Crede mihi, in subitas abiissent aequora flammis,  
6 ni foret a lacrimis flamma perempta tuis.

DE HIPPOLYTA GONZAGA.

E\_178 v.1 "O quibus invita Lachesi dare munera vitae  
2 jus datur, Aoniae turba diserta Deae,  
3 nectite, qua digna est, aeterna e fronde corollam,  
4 et viridi Hippolytes cingite honore comam."  
5 Dixerat haec Phoebus : numeros cum forte puellae  
6 audiit, et reticens invidia obstupuit.

IN LIBELLOS EDITOS A PAULO MANUTIO.

E\_179 v.1 Elysii manes, quos nunc quoque cura fatigat,  
2 ne Latium sordes imbuat atra decus,  
3 dicite, quas Paulo sedes, quae certa futura,  
4 cum vestrum felix incolet umbra nemus ?  
5 Ille dat, excultis quae sint imitanda libellis,  
6 squalenti quae sint obsita verba situ.  
7 Magna quidem pietas, fortunatique labores :  
8 Roma secunda redit, barbara lingua silet.

AD ALOISIUM SANCIUM.

E\_180 v.1 Sol radios, mare praebet aquas, dant gramina flores ;  
2 tu dulci, Sancti, dulcia dona animo.  
3 Sol aestus, mare dat scopulos, dant gramina virus,  
4 nos et amaro etiam munera amara animo.

5 Carmine pro dulci sic tu cape carmen amarum :  
6 saepe solent varia dona placere vice.

AD FERRANDUM DAVALUM REGII PATRIMONII PRAEFECTUM.

E\_181 v.1 Nescio Ferrandus cur tu dicaris : ab ipso  
2 nomine sat differs moribus, ingenio.  
3 Aureus est animus, dicta, et facta aurea : ferrum  
4 quid tibi ? Cum ferro nil, mihi crede, tibi est.

AD NIGELLAM.

E\_182 v.1 Siquis te spectat nec deperit haud puto vivum ;  
2 siquis non spectat vivitque hic mortuus hic est.

DE FLAVIO CARDINALE URSINO.

E\_183 v.1 Inclyta cum veteres defleret Roma ruinas,  
2 et sacrum in pejus cerneret ire decus,  
3 "Quid lacrimas ?" Tiberinus ait, "Delapsus ab astris  
4 Ursus adest, Ursas qui nitet ante duas.  
5 Hoc duce Roma iterum stabis, meliorque resurges :  
6 jam Lupa, nunc Ursus conditor urbis erit".

INFANTIS TUMULUS.

E\_184 v.1 Heu simul infanti tumulum, cunasque parate :  
2 nam matre exstincta nascitur et moritur.

AD MARIUM CARRAFAM NEAPOLITANORUM PONTIFICEM.

E\_185 v.1 Summe Heros patriae, tandem lux tradita nocti,  
2 quem pietas genuit, religio erudiit,  
3 vellem ego, sed nequeo de te quid dicere : dicam  
4 de te aliquid, demas tu modo de te aliquid.

AD AMOREM.

E\_186 v.1 Non Venus tibi mater, otiumque  
2 pater, crede mihi puer proterve ;  
3 non joci, illecebrae, sales, lepores  
4 fratres, non Charites tibi sorores :  
5 Luxus, mollities tibi parentes ;  
6 fraudes, insidiae, doli, pericla  
7 fratres sunt, Amor, et tibi sorores.

STATUARIUS FILIAE SOLVIT INFERIAS.

E\_187 v.1 Quid juvat, ah, longos artem didicisse per annos,  
2 cum mea dextra tibi nata sepulcra paret ?  
3 Et ferrum, et marmor crudelia, ferrea dextra,

4           hhei mihi tam magnum quae peperere malum.  
5       Et ferrum et marmor felicia, dextera felix  
6           si, pater, hoc tecum conderer in tumulto.

## AD NEREIDAS.

E\_188   v.1       Dicite, Nereides, quae circum luditis undas,  
          2           an majora meis aequora sint lacrimis ?  
          3       Dicite formosae, Platamon quam deperit, Aegles  
          4           anne magis duri pectore sint scopuli ?  
          5       Credite jamdudum nostro res nota periculo est,  
          6           nempe minora meis aequora sunt lacrimis,  
          7       Credite formosae, Platamon quam deperit, Aegles  
          8           quod vel dura magis pectora sunt scopulis.

## AD FRANCISCUM LOMBARDUM.

E\_189   v.1       Maximus es meritis, vita bene maximus acta,  
          2           Te tamen et nequeo dicere Pontificem.

## AD MENELAUM INFROSINUM, ET SIMIUM CAMPANUM.

E\_190   v.1       Forte, quo se habeat modo, rogatis,  
          2           est qui carior omnibus poeta,  
          3           qui vos diligit, omnibusque praefert :  
          4           exussit laceras Venus medullas,  
          5           sunt longae misero dies tenebrae,  
          6           nec quicquam retinet, quod olim habebat.  
          7           Quin vultis, referam, quid ille nunc sit ?  
          8           Umbra perpetuis perusta flammis.

## AD LUCRETIAM.

E\_191   v.1       Non, quod lucreris gemmas, Lucretia dicta es ;  
          2           sed quod lucreris corda hominum, atque animos.

## IN FUNERE HIERONYMI SERIPANDI CARDINALIS.

E\_192   v.1       Res nova, res nimium tristis, res digna querelis,  
          2           jam fuit in magnos mors violenta Deos.  
          3       Tune ille, heu, moreris pravi spes ultima saeculi ?  
          4           Tune jaces sacri lux, Seripande, chori ?  
          5       Ah quantum amisit Christi respublica : quantum  
          6           lucrata est caeli regia morte tua.

## AD VIRGINEM CHRISTI MATREM.

E\_193   v.1       Praecipiti rueret cum biga exterrita clivo,  
          2           nec foret alipedes qui cohiberet equas ;  
          3       totaque paene domus currenti abscondita ligno  
          4           pessum iret, quin jam lapsa jaceret humi ;  
          5       tu, cui sunt curae miseri sanctissima Virgo,

6           ecce ades, et tantis eripis una malis.

IN LONGINUM.

E\_194    v.1     Romanam Fabii quondam mora restituit rem :  
          2           at mora Longini perdidit ipsa meam.

PUERULI TUMULUS.

E\_195    v.1     Matris ad inferias jacet hic puer editus, illum  
          2           edere nam mater dum parat, ambo obeunt.  
          3           Tunc igitur puerum felicem flebis, ademptam  
          4           qui nolens matrem cernere, sic periit.

DE JULIA ROTA SORORE.

E\_196    v.1     Carmen sint aliis aliae, mihi Julia carmen,  
          2           Romanas referens, et Lacedaemonias.  
          3           Exhibuit talem raptivse funere nati,  
          4           invidiae ut dederit non minus, ac gemitus.

IN EFFIGIEM AUREAM PERAPHANI RIBERAE.

E\_197    v.1     Non ego te vivum spirans quod reddidit aurum,  
          2           effigiem novi, magne Ribera, tuam.  
          3           At subito ut legi, "Terras astraee revisit",  
          4           non alius dixi quam Peraphanus erit.

DE NUPTIIS VESPASIANI GONZAGAE ET ANNAE ARAGONIAE.

E\_198    v.1     "Quae bene junxit Hymen, fovit Concordia, sanxit  
          2           relligio, fidei vincla dicavit Amor,  
          3           nulla dies solvat, non rerum perfidus ordo,  
          4           non duri fati rumpat iniqua manus."  
          5           Pro Gonzaga aderat Mavors, pro conjuge Pallas :  
          6           orabat Phoebus vota secunda Jovem.  
          7           Annuit, et dixit : "Felix, faustumque sequetur",  
          8           Jupiter ; et sic, sic Parca notavit, erit.

DE EISDEM.

E\_199    v.1     Qui thalami ? Quae taeda ? Novi quae pompa Hymenaei ?  
          2           An Juno est iterum conjuge ducta Jove ?  
          3           Gonzagae heroi nupta est Aragonia virgo,  
          4           ut Divum humana gens reparetur ope.

DE IMAGINE CHRISTI DEI CRUCIFIXI,  
AD JACOBUM ANTONIUM FERRERIUM.

E\_200    v.1     Siste, dole, lacrima : nam quid lacrimare, dolere  
          2           plus potes, hoc si non flere, dolere potes ?

## DE HIERONYMA COLUMNA.

E\_201 v.1 Vos, qui dispositos passim succenditis ignes,  
 2 aeris affecti ne mala vis perimat,  
 3 si sapitis, vultisque gravem depellere morbum,  
 4 qui male nunc turbat nos, agitatque metu ;  
 5 pingite caelestis, si fas est, ora Columnae,  
 6 perque urbis celebres picta locate vias.  
 7 Extemplo puri veniet clementia caeli,  
 8 diffugient nebulae, diffugietque metus.  
 9 At vereor, vitare malum dum creditis igni,  
 10 ne vos igne urat picta Columna suo.

AD PERAPHANUM RIBERAM,  
CUM OBSESSAE WISAE COLONIA SUBSIDIUM MITTERET.

E\_202 v.1 Aequo Marte alii vicerunt cominus hostes,  
 2 omine, fortuna, viribus, arte, mora :  
 3 tu celer, atque sedens victores eminus hostes  
 4 vicisti nutu, consilio, ingenio.  
 5 Quis te igitur poterit mortalem dicere, cum sis  
 6 hoc etiam magno proximus ipse Jovi ?

## DE ANNIBALE MOLE JURECONSULTO AEQUISSIMO.

E\_203 v.1 Tot moles alii, nos admirabimur unam :  
 2 natura hanc, illas ars operosa dedit.  
 3 Materia e vili sunt illae, et paupere saxo,  
 4 nobilis haec constat divitiis animi.  
 5 Tempus edax illas, hanc nullum destruet aevum ;  
 6 mortales illas, hanc posuere Dei.

## AD D. VINCENTIUM FLUMARUM MONACHUM CASINENSEM.

E\_204 v.1 Educat ars alios et tellus Daedala flores,  
 2 at caeli tantum ros alit ipse tuos.  
 3 Ne cesses igitur caelestes ponere plantas,  
 4 o felix sancti seminis agricola.

AD FERDINANDUM CARRAFAM DIOMEDIS FILIUM,  
IN SUI TEMPORIS AVARITIAM.

E\_205 v.1 Oscula divitibus passim surrepta puellis  
 2 cernimus : est auri hoc, non vitium Veneris.  
 3 Est tamen, est aliquid : si non sunt aurea saecla,  
 4 aurea sunt nostris oscula temporibus.

## AD JOANNEM RAMIRUM.

E\_206 v.1 Quos noster Jovius misit, Ramire, libellos,  
 2 ut simul inspiciam, suspiciamque simul,

3 utque notem maculas, si quas incuria fudit,  
4 non scripsit Jovii, sed manus ipsa Jovis.

IN CYNICUM.

E\_207 v.1 In Cynicum mors dira manus injecerat : at mox  
2 ne male quid de se diceret, abstinuit.

AD JOANNEM MORONUM CARDINALEM.

E\_208 v.1 Cum Tiberis tumido late prorumperet amni,  
2 saevaue vicinos mergeret unda lares,  
3 haud mirum, Morone, tuos superesse penates :  
4 non potuit sacris unda nocere locis.  
5 Sancta fides tutata fores, penetrabilia Phoebus,  
6 virgineus tenuit tecta verenda chorus.  
7 Hinc segura igitur quam sit mens conscia recti  
8 quisque putet, quam nec perdere possit aqua.

AD ANTONIUM CATENAM REGIUM CONSILIARIUM.

E\_209 v.1 Si mala, quae nostris tempestas imminet hortis,  
2 nulla erit, et per te libera poma legam,  
3 non tibi, quae Chloris, quae dat Pomona, parabo  
4 munera, sed Phoebi quae bonus hortus alit.  
5 Hortorum exiguo languescit tempore fetus,  
6 Pieridum nullo tempore fetus obit.

AD FERDINANDUM TOLETUM ALVAE DUCEM.

E\_210 v.1 Appellent alii quovis te nomine, dicam  
2 carmine te Solem, magne Tolete, meo.  
3 Sol umbras ; tu bella, metum, tu nubila tollis :  
4 hinc, mala quod tollas singula, nomen habes.

DE LONGO ET CURTO.

E\_211 v.1 Praecipitat Longus causas, Curtusque retardat :  
2 i modo nominibus, i modo crede notis.

IN FUNERE FERDINANDI GONZAGAE.

E\_212 v.1 Hoc tantum de morte tua, Dux magne, dolendum est,  
2 debueras acie, non obiisse toro.

AD PHILIPPUM AUSTRIUM REGEM,  
DE VESPASIANO GONZAGA.

E\_213 v.1 Nil cum fortuna tibi jam, Rex optime : vincet  
2 Gonzaga invicta bellica fata manu.  
3 Dexterâ Gonzagae, plusquam fortuna, triumphos,

4 quos tu vix cuperes, vix daret illa, dabit.

IN FUNERE RODULPHI PII CARDINALIS.

E\_214 v.1 Ah, Pie, tune jaces ? Non impia Parca pepercit ?  
 2 Ah, tibi quem tumulum, quos titulosve parem ?  
 3 Sint tibi pro titulis probitas, pietasque, fidesque ;  
 4 sint nostra aeterno pectora pro tumulo.

IN PALEARIAM.

E\_215 v.1 Omnibus es paleae similis Palearia, ni quod  
 2 ocior haec vento est, tardior ipse trabe es.

IN FUNERE HIPPOLYTAE GONZAGAE.

E\_216 v.1 Disrupta ad tumulum pharetra lacrimantur Amores,  
 2 restinxit geminas Cypria maesta faces,  
 3 Sirenes ululant circum, lamenta Camenae  
 4 ingeminant, scissis flent Charitesque comis.  
 5 Discite felices, quid possint fata, mariti ;  
 6 discite laetitiam quam prope luctus eat.

NOVA FELICITAS.

E\_217 v.1 Vespere jucundos thalamus conjunxit amantes,  
 2 mane iterum tumulus junxit et ipse duos.

DE PERAPHANO RIBERA ET PORTUCARERO.

E\_218 v.1 Sumpserat in Portum saevas Mors atra sagittas,  
 2 ut Phoebi et Martis perderet omne decus.  
 3 Tum superi exclamant : "Non Portus, at ipse Ribera est,  
 4 quem petis, ah quid agis ? Projice tela manu."  
 5 Projecit, flexoque genu rea criminis inquit :  
 6 "Parcite, mortalem perdere credideram."

AD JOANNEM ANDREAM CURTUM, SACRI CONSILII NEAPOLITANI PROPECTUM.

E\_219 v.1 Deformant alii leges, minuuntque, premuntque,  
 2 negligit alter eas, destruit alter eas.  
 3 Tu simul unus eas exornas, erigis, auges,  
 4 servas unus eas, condis et unus eas.

AD ANTONIUM PERENOTUM CARDINALEM GRANVELAM.

E\_220 v.1 Vellem ego, nec possum, quantus tu, qualis et ipse es,  
 2 metiri, et si non carmine mente sequi.  
 3 Virtutis nam mole tuae sic obrutus ipse es,  
 4 ut te te intra te non reperire queam.



AD JOANNEM AUSTRIUM  
DE VICTORIA NAVALI PER EUM PARTA CONTRA TURCAS.

E\_221 v.1 Ars, usus, fortuna, animus, solertia, vires  
2 inclyta victricis sunt bona militiae.  
3 His est parta Ducum victoria, sed licet id sit  
4 omne tuum, hoc auget Dux tibi magne decus ;  
5 quod sperare vetas, quod nos optare triumphos,  
6 sic spem, sic votum vincis in arma celer.  
7 Non aliter fulmen ferit ante, et territat ictu  
8 quam sonitu ; et primum sternit et inde ruit.

AD LETHEN FLUMEN APUD PRATAM DITIONIS SUAE OPPIDUM.

E\_222 v.1 Salvete o latices Lethaei, o flumen amicum,  
2 quod serpis vitreo saxa per uda pede ;  
3 sive dedere olim lethaea obliviam nomen,  
4 Sive dedit letum meta, quiesque mali.  
5 Sit faustum felixque : tamen quia nomen ab ipsa est  
6 laetitia, laetum nomen et omen eris.

AD PERAPHANUM RIBERAM.

E\_223 v.1 Turbarunt alii pacem discordibus armis,  
2 tu pacato animo bella profana domas.  
3 Vidimus immersos tranquilla per aequora nautas,  
4 tu portum iratis fluctibus ecce tenes.  
5 Ultra hominem tu quicquid agis fortissime princeps,  
6 jam colit humanum terra beata Jovem.

AD RANNUCIUM FARNESIUM CARDINALEM.

E\_224 v.1 Jam te Pontificem medio Tiberinus ab amne  
2 suspicit, et jam te Roma beata colit.  
3 Rannuci, purae series sic candida vitae  
4 postulat, et studiis gloria parta tuis.  
5 At quando votis obstat non apta juvenus  
6 (etsi jamdudum moribus ipse senex)  
7 canitie subita fias argenteus, ut mox  
8 aurea te fiant saecula Pontifice.

AD VINCENTIUM FRANCUM REGIUM CONSILIARIUM.

E\_225 v.1 Siquis se vincit vera est victoria, victor  
2 Vincenti : hoc proprium est, hoc, mihi crede, tuum.  
3 Nam vis nulla via potuit te flectere recta,  
4 non amor, ira, metus, commoda, dona, preces.  
5 O legum decus invictum, o te iudice jura  
6 aurea, et o tanto saecula beata viro !

AD FELICEM URSINAM.

E\_226 v.1 Felix, et Phoenix diceris : nomen utrumque  
 2 te decet, o caeli tertius Ursa nitor.  
 3 Te te ipsa es felix, fortunae et munere felix :  
 4 Phoenix una animi, corporis una bonis.

DE ANDREA PONTIO LEONE.

E\_227 v.1 Trajiciam tuto tumidum qui territat amnem,  
 2 despiciam, rabido quae vorat ore, feram.  
 3 Tranantur parvo torrentia flumina ponte,  
 4 diffugiunt viso saepe Leone ferae.

DE GALLINA AD PISANUM.

E\_228 v.1 Arcis Tarpeiae custos argenteus anser  
 2 quod fuit, hoc vocis munus inane fuit.  
 3 Aurea sit, ne dum gallina argentea, quae dat  
 4 bina, Pisane, tibi quolibet ova die.

AD SECUNDUM VELAM GALLINAE OCCISOREM.

E\_229 v.1 Tune Secundus eris gallinae occisor amatae,  
 2 omnibus adversus qui potes esse bonis ?  
 3 Ah potius genus omne avium, quin perdere temet  
 4 debebas, tantum quam facere hoc facinus.  
 5 Saeviat in te unum, cui toxica blanda parasti,  
 6 mus, precor, exstincta strenuus ultor avis.  
 7 Ille tibi frangat cyathos, et devoret escas,  
 8 et quae precarunt mordeat ille manus.

DE EADEM.

E\_230 v.1 Sint aliis volucres argento, et marmore fictae ;  
 2 argentum, et marmor non tamen ova parit.  
 3 Sat gallina tibi si carne, et sanguine ficta est ;  
 4 tantum alis careat ne fugitiva volet.

PISANUS GALLINAM DEFLET.

E\_231 v.1 Heu, quae debueras longissima vincere saecla  
 2 quam, gallina, cito funere rapta jaces.  
 3 Et quae bina die dare saepius ova solebas,  
 4 quot suspiria, quot nunc mihi das lacrimas.  
 5 O pereant mala crusta malo medicata veneno,  
 6 tuque inter caeli sidera sidus abi.

AD NIGELLAM.

E\_232 v.1 Tantum crudelis, tantum formosa Nigella es,  
 2 ut tecum, et sine te vivere quis nequeat.

## IN AUREAM STATUARIUM.

E\_233 v.1 Tu mihi vere aurum si donas, Aurea, marmor ;  
2 at mihi si vendas, Aurea, marmor eris.

## AD MENELAUM INFROSINUM.

E\_234 v.1 Mitte queri, Menelae, meis non vivere chartis :  
2 hoc inter flammam vivere, crede, foret.  
3 Dic mihi quid melius : mediis te vivere chartis,  
4 an media vatis vivere mente tui ?  
5 Si tamen id spernis, si tanti est vivere chartis,  
6 sat tibi sit chartis vivere posse tuis.

## IN FATUUM ANTE FORES CATENAE CUSTODEM.

E\_235 v.1 Desipis, idcirco custodis jure catenam :  
2 custodire sibi debita cuique licet.

## AD NIGELLAM.

E\_236 v.1 Id tibi, quod potuit, natura indulserat uni,  
2 verum te te ipsam perdere non dederat.  
3 Cum me igitur perdas tu te ipsam perdis : iniqui  
4 criminis ah novitas ! Ah scelus ! Ah facinus !

## AD EAMDEM.

E\_237 v.1 Quam mallet ipse meis oculis edicere legem,  
2 ne tam saepe tuos inspicerent oculos ;  
3 sed vereor legem esse nefas, quae non sinat almo  
4 sole frui, atque bono, quod super omne bonum est.

## AD EAMDEM.

E\_238 v.1 Cum te finxisset, "Nos ipsos finximus" inquit  
2 Jupiter, oblitus numinis ipse sui.  
3 Paenituit fecisse tamen quod fecerat : in te  
4 nam superum, atque hominum fecerat exitium.

## AD VESPASIANUM GONZAGAM, DE ALOISIO FILIO.

E\_239 v.1 In nemus immensum Parnassia frondeat arbos,  
2 et magnum in fluvium fons Heliconis eat.  
3 Jam Gonzaga tibi puerum dat Regia conjux,  
4 jam creat indigenas Itala terra deos.

AD PYRRHUM ANTONIUM CAPUAM, HYDRUNTINORUM PONTIFICEM,  
ET SEDIS APOSTOLICAE APUD VENETOS LEGATUM.

E\_240 v.1 Quod forti spernas animo decreta malignae

2           Fortunae, et surgas quo magis illa premat,  
3       Antoni, te digna facis : nam vera mereri  
4           gloria, non vera est gloria habere decus.

IN PORTIAE CAPICIAE CONJUGIS FUNERE.

E\_241   v.1       Dum viridi vernos carpebat gramine flores  
2           Pociliae Dinus dona futura suae,  
3       vidit eos atra circum ferrugine tingi,  
4           et subito in spinas vertier, et tribulos.  
5       Protinus ad litus descendit, dumque legebat  
6           candidulam concham, lurida concha venit.  
7       Haurit aquam, dulcis quae puro e fonte fluebat,  
8           et tamen hanc etiam tristis amaror habet.  
9       Aera tum stupidus suspexit : lucidus aer  
10           forte erat : at piceas mox abit in tenebras.  
11       "Ecquid erit ?" lacrimans tandem proclamat. Et audit :  
12           "Mortua Pocilia est, mortua Pocilia est".

EJUSDEM TUMULUS.

E\_242   v.1       Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,  
2           narcissos Charites, lilia spargit Amor.  
3       Phoebus odoratas lauros, Pallasque amaranthos,  
4           nos lacrimas sancti pignora connubii.

AD EAMDEM.

E\_243   v.1       Dum parere heu sobolem credis, dulcissima conjux,  
2           quot lacrimas moriens, quantaque damna paris ?  
3       Per te ego dicebar felix, per te quoque dicar  
4           infelix omni tempore morte tua.  
5       Et tamen, ah miseri, vitali vescimur aura,  
6           cum nostri tecum pars melior jaceat.  
7       Quid moror ? En tumulo vivum me condite, siqua est  
8           o pietas, quando non obiisse datur.

AD EAMDEM.

E\_244   v.1       Num vivat pereatne malis, qui creditur undis,  
2           ambiguum est, minimo morte procul digito :  
3       sic ego te exstincta lacrimarum dum trahor undis,  
4           mortuus, an vivus dicar in ambiguo est.

AD EAMDEM.

E\_245   v.1       Et tantum, et tantum flevi, ut nedum una relicta  
2           sit lacrima, heu saltem qua mala tanta levem.  
3       Fluxit et in lacrimas sanguis, fluxere medullae :  
4           quid reliqui, ni anima haec diffluat in lacrimas ?

CUM E ROSEOLO, SUAE DITIONIS OPPIDO IN MARSIS, NEAPOLIM REDIRET.

E\_246 v.1 Muscosi lapides, qui me per iniqua viarum  
 2 ducitis, et quo non ducier ipse velim,  
 3 crediderim, vobis aliquis si sensus inesset,  
 4 quod stillaretis mecum etiam lacrimas.  
 5 At quando hoc vetitum est, oculorum flammeus humor  
 6 vos riget, huc illuc fonsque perennis eat,  
 7 de quo mox bibat admirans dicatque viator :  
 8 "Non alibi medio surgit ab igne liquor."

EPITAPHIUM JACOBI BRANCACII ET LAURAE ROTAE CONJUGUM.

E\_247 v.1 Felices cineres una voluere reponi,  
 2 ne, quos junxit Amor, funera dividerent.

AD ALOISIUM TANSILLUM.

E\_248 v.1 Dum senis cantas lacrimas beati,  
 2 o pium cantum, o lacrimas beatas,  
 3 undique et sacris numeris resultat  
 4 collis, et aequor ;  
 5 dum parat pictam violis corollam,  
 6 dum rosas primas legit, et nitenti  
 7 flore dum replet tibi mille conjux  
 8 casta quasillos,  
 9 Nec sat est cari tribuisse agelli  
 10 dona, at interdum spatiosa circum  
 11 litus attritas tibi servat udo  
 12 marmore conchas.  
 13 Nos ut immitis dolor urget, ut nos  
 14 cogit, uxorem sequimur sepultam,  
 15 quo rapit mens saucia, quo trahunt nos  
 16 jura sepulcri.

AD HORATIUM SOLIMAEUM.

E\_249 v.1 Si dolor acer erat potis umquam vincere, victum  
 2 nempe dolore unum me fore credideram ;  
 3 et, Solimaeae, tamen vivo, nec vivere certum est,  
 4 ni credam extinctum vivere posse hominem.

AD VOLLARUM ET TURBOLUM MATHEMATICOS.

E\_250 v.1 Dicite quid faciam, qui caelum volvitis arte,  
 2 Vollare care mihi, Turbole care mihi ?  
 3 Quando elementa etiam mutantur, vertitur aether,  
 4 cur meus est idem tempus in omne dolor ?

CONJUGIS TUMULUS.

E\_251 v.1 Quisquis ades, dignam lacrimis venerare sepultam,  
 2 heu decus intactae grande pudicitiae.  
 3 Hic Venus, hic Pallas : quis non loca pronus adoret ?

4 Tres una haec magnas detinet urna Deas.

AD JANUM PELUSIUM CROTONIATAM.

E\_252 v.1 Pelusi, nostras longum miserate querelas,  
2 qui mea saepe tuo carmine damna levas,  
3 quid dolor ipse nequit ? Volui de marmore fingi,  
4 et poni juxta conjugis ora meae,  
5 ut saltem fictam fictus de marmore cernam,  
6 marmorea possim marmor et ipse frui.

CONJUGIS TUMULUS.

E\_253 v.1 Voce lege haec tacita, non est non mortua, dormit  
2 Portia, crede, nefas hanc obiisse foret.

SUI IPSIUS TUMULUS.

E\_254 v.1 Cur tumulus manat lacrimis ? Cur aestuat igni ?  
2 Ipse vel in tumulo luget, et ardet amans.

AD GASPAREM TORALTUM.

E\_255 v.1 Care Toralte, meas dudum admire Camenas,  
2 non mors prae lacrimis praeque dolore venit.  
3 Ceu rediviva suo de funere nascitur ales,  
4 sic ego de lacrimis, deque dolore meo.

GENIUS E CONJUGIS TUMULO.

E\_256 v.1 At tu quisquis ades, dites qui curris ad Indos,  
2 desere Erythraei longa pericla maris :  
3 felicem ad tumulum propera, jamque utere terra,  
4 hic gemmas alias, hic nova thura leges.

AD HALCYONES AVES.

E\_257 v.1 Cedite mi tristi quae circum litora cantu  
2 rapta tori viduae gaudia fletis aves.  
3 Cedite, quod flemus, quod lamentamur, id omne  
4 majoris causam, vimque doloris habet.  
5 Vos maris irati pacatas redditis undas,  
6 turbatur lacrimis terra, fretumque meis.  
7 Quodque magis miserum est, vacuas clamatis ad auras  
8 vos bis Ceycem, nos quater Halcyonem.

AD JO. FRANCISCUM SPANNOCHIUM SENENSEM.

E\_258 v.1 Tu libertatem deploras servus ademptam,  
2 Spannochi, nostram sat miserate vicem ;  
3 ast ego servitium deploro liber ademptum.

4 O rerum inversa condicione vicem !

AD GABRIELEM ZERBUM BONONIENSEM.

E\_259 v.1 Zerbe, quid o prodest lustro tumulasse peracto  
 2 cara peregrino conjugis ossa solo ?  
 3 Etsi mi jures cineres, manesque verendos,  
 4 non credam lacrimis te posuisse modum.  
 5 Ipse vel extremi fugias ad limina mundi,  
 6 sint tibi vel Pylis saecula longa senis,  
 7 nil fuga, nil aetas : ieris quocumque, sequetur  
 8 perpetuis tenebris obrutus usque dolor.

AD MARIUM ALTIMARUM.

E\_260 v.1 Portia dicta mihi, non Porcia (parce vetustas)  
 2 est, et erat portus fluctibus illa meis.

AD ALFONSUM ROTAM FRATREM.

E\_261 v.1 Attritum corpus frater, quin corporis umbra,  
 2 qui deploratis surgis ab exsequiis,  
 3 ne redeas lassae rediviva ad funera vitae,  
 4 quod te delectet vivere, quodve juvet ;  
 5 sed pia te moveat fraternae cura salutis :  
 6 nam si deseris, heu deseret haec anima.  
 7 Nec fallor : dum te lacrimans et supplice dextra  
 8 alloquor, et tu me deseris, atque anima.

DE EODEM DIU AEGROTANTE ET PRAECLARE MORTUO.

E\_262 v.1 Si vitam inspicias, contendes dicere mortem ;  
 2 si mortem, vitam dicere jure potes.

\*\*\*\*\*